MEDICI ENCHIRIDION AD QVOTIDIANAM MEDENDI EXERCITATIONEM

ex Galeno excerptum, Ioanne Baptista Goynæo Pyrrhanensi, Academico inflammato, authore. Ad Ioannem Antoniũ Apollonium conciuem suum.

EIVSDEM *de situ Istriæ ad Pyrrhanensium adolescentum Academiam liber unus.*

EIVSDEM *Dialogus, quod philosophi & Medici dogmatici iurisconsultos dignitate præcedãt. Ad M, Antonium Ianuam et Franciscum Frizimelicam præceptores.*

PARADOXVM *etiam, quod latino potius quàm vulgari sermone scribendum sit. Ad Nicolaum Rossignolum conciuem suum.*

ALIVD *Paradoxum quod nobiliora sint literarum studia rei militaris peritia. Ad Priamũ Polanũ.*

POSTREMO *Ecloga piscatoria in nobilissimi uiri Marci Vrsati Patricij Patauini obitum. Ad Arnoldum Arlenium Peraxylum.*



IO. ANT. APOLLONII PYRRHAN. ART. ET MED. D. AD Candidum Lectorem epigramma.

Si ueterum, inspicias lector si scripta nouorum,
Quęque docent diti subtrahere arte animas,
Forte subobscura nosces hæc tradita nube,
Clara goynæi dum monumenta leges.
Sic etenim docuit qua sit ratione medendum,
Vt nullum inuenias huic(mihi crede)parem.
Omnigenos ergo cupiens depellere morbos,
Hunc eme: & in gremio nocte, dieque foue.

FRANCISCVS BENELLIVS AD IO. Baptistā Goynæum Academicum inflammatum.

Quod latia, hetrusca, græca scis scribere lingua,
Siue cupis prosam, carmina siue cupis.
Hoc ego non miror iuuenis doctissime, miror
Omnia quod legeris iam monumēta patrum.

CORNELIVS Delbinus ad eundē.

Istria terra tibi debet Goynæe, fatemur,
Ingenij celebrant quam monumenta tui.
Tu tamen huic contra debes, quod lumina tanti
Ingenij ex istris præbuit ipsa tibi.

IO. BAPTISTA GOYNAEVS ANTONIO APOLLONIO S. D.



SOLEO Ego sæpenumero Apolloni (vt nosti) cum Aristotelem admirari, tũ diuinum illud Galeni ingenium prędicare, nullam aliam certe ob causam, quàm ob perfectam & absolutam in tradendis disciplinis eorum rationem, quam peculiari gentis uocabulo græci homines methodum appellarunt. quam ob rem intermisi iamdiu, (ut non te latet) gratissima & iucundissima aliorum authorum studia. in quibus si quis alius pluribus annis à pueritia usq; erã uersatus: ut in iis duobus prope solis quantum ingenij ui consequi possem, & in philosophiæ & artis medicæ literis non nihil proficerem. Quid autem hactenus in utrisque sim assecutus, id aliorum iudicio arbitror relinquendum. Verum cum diebus hisce supioribus ad uitãdos solis ęstus ruri agerẽ, statui mecũ ipse ex Gal. libris ad meã utilitatẽ nonnulla excerpere, q̃ ad medẽdi quotidianã exercitationẽ metho do pertractãdã q̃si epitomes cuiusdã loco mecũ haberẽ: unde mihi in memoriam facile reducerentur omnia, quæ ad ægrotorum curationem requiri solent. In quo quidẽ labore meo cum mihi ipsi, ut animantia fermè omnia in fœtibus suis, aliquantulum placere uiderer, statui etiam eiusdem te participem facere uoluptatis: quem propter singulares animi dotes, & propter summa & innumerabilia in me collata beneficia, propter studiorum coniunctionem, propter deniq; communẽ patriam mirifice amo atq; obseruo. Qua quidem in re si alijs omnibus (neque

enim tantam animo spem concipio) non satisfecero: cumu late tamen mihi ipsi satisfactum esse putabo: si tu solus hanc lucubratiunculam non improbaris. quod ita spero, & opto futurum mi frater. Vale.

DVplex igitur Apolloni in tota medicorum arte (ni fallor) Galeno authore est instrumentum. quorum alterum rationem, alterum experientiam ipse appel lat. quæ quidem ambo quamuis natura ipsa coniuncta et copulata esse deberent, accidit tamen sæpenumero, ut imperitorum & rudium hominum uitio dissoluantur. quam certe consuetudinem, uel corruptelam potius, ut nos semper corrigendam esse putauimus, ita Galenum summope re laudandum asserimus, qui utrumque complectendū existimarit. nam à principio ferè studiorum meorum, qui bus in Hippocratis & Galeni libris versari institui, eam animo opinionem concepi: neminem planè ueri medici nomine dignum futurum, qui rationem ab experientia separarit.

Libro. 8. Aph. lib. de uenę sectione. 9. Therap. 7. de medicamentis secundū loca. In lib. de sectis, & 7. de medicamentis secundū loca.

NOBILIOREM Esse rationem experiētia, et an certius agant experientes uel rationales medici.

IN omni ferè arte & studio, quod partim ratione, partim effectione constat, ut grauissimus author Aristoteles arbitratur, rationem perpetuo effectioni anteponere consueuimus: nam (ut Vitruuius etiam ipse testatur) multo maiori laude dignus est architectus, qui mente & cogitatione considerat domum ipsam ædificandam, quàm qui lapidibus & ferramentis ad eandem expoliendā utitur faber. quod & si pluribus & iis quidem firmissimis

primo ad Glauco, 9. Ther. Primo diuinę philosophiæ. Libro. 1.

Expertus medicus rectum specularis et inexpertus

rationibus ab Aristotele comprobetur, nos tamen ab eisdem adducendis supersedebimus: uel ob id quod enchiridii ratio hoc à nobis fieri minime patiatur: vel ob id etiã quòd unicuique apud Aristotelem easdem legere facile licet. in eo autem potius à doctissimo homine, & ab Alexandro Aphrodisiensi dissentimus, & contra Galeno accedimus: quòd ille experientem certius operari (ita enim loquar) quam speculatorem affirmet, hic autem rationalem empirico in arte iudicat præponendum. omnis enim res cuius ratio & causa lateat, incerta planè & dubia. incerta autem omnia fortuna regi gubernariq; solent. Quapropter experientes ipsi qui nullam rerum, aut exiguam & subobscuram rationem sequuntur, casu potius quàm prouidentia medicam artem exercent. unde iure optimo Cornelius ille Celsus latinorum medicorum Homerus rationalem medicum reliquis omnibus anteponit.

Primo di uing phi. losophiæ. Libro. 13. Therap. & 7. de medicamentis secundum loca. Lib. prio.

QVID à medico consyderandum cum ad ægrotum accesserit.

IS igitur cum ad ægrotum accersitur (nam de ea tantum medicæ artis parte locuturi sumus quæ curatiua appellatur, Gal. n. mõ quatuor, modo plures etiam esse ait) id in primis curare debet, ut morbi genus ipsum cognoscat. tria aũt ea sunt, ut sæpenumero idẽ repetit atq; inculcat. & primũ quidẽ quod in simila ibus, alterũ qđ in instrumentarijs partibus, tertiũ quod in utrisque consistit. Quod si in similaribus, ut pote intemperie quadam qualitatis morbificæ procreatum, rursus hic subdiuisione utẽdũ, & æqualẽ, uel inæqualem eã esse sedulo ppendẽdũ: nam si inæqualem, eã hydropẽ, uel febrem generasse

Lib. artis medicinalis et de optima secta ad trasybulũ & in lib. de sanitate tuenda et de morbo differencia & in 1. Ther.

Lib. 1. ad Glauco. Libro. 8. Therap. de differẽtiis febriũ de crisibus.

perſpiciemus, quo percepto & cognito, iterum mea ſententia erit diuiſio facienda, nam ſi in ſpiritibus tantum, vel in meatuum obſtructione cõſtiterit Gal. authore diaria, ſi uero in ſolidis partibus, hectica, ſi in humoribus, putrida appellabitur. & rurſus ſi inhumoribus, uel in ijs qui p totum corpus diſperſi diſſipatiq; fuerint, uel in ijs qui in uenis ipſis ſitum & putredinem ipſam contraxerint. ad hæc ſi in uenis, uel ex flaua, aut atra bile, uel ex pituita unica tantum, vel ex ea quæ cum bile commiſcetur orta erit, & tunc quartana, aut tertiana, aut quotidiana, aut hepiala, aut lepiria ;nominabitur. & rurſus uel continua uel interpellata, & ſi cõtinua uel ἀκμαστικὴ, uel παρακμαστικὴ, uel ὁμότονος dicenda erit, iſta autẽ eſt, ut arbitror, ea diuiſio, quam ipſe in primis Plato, deinde Galenus maximopere collaudarunt. ut uidelicet à primo genere ad ultimam quandam differentiam, & indiuiduum perueniamus: quo morbum ipſum nobis oblatum ratione & methodo noſſe poſſimus. cognoſcemus autem uel febris, uel aliorum morborum ſpecies ex ſignorum ipſorũ uarietate, & copia, quæ, ſi diligenter Galenum ipſum medicorum principem euoluerimus, facile omnia parata et prompta nobis occurrent.

In Parmenide & i philebo Gal. lib. 1. ad Glauco. ex libris de locis affectis et de crisibus.

COGNITO *perdiuiſionem morbo ab eiuſdem natura ſumendæ indicationes.*

Primo de ratione uictus i morbis acutis

INuenta igitur hac uia & ratione morbi forma, ſine cuius cognitione Galeni ſententia curationem aggredi minime poſſumus, ab eadem indicationes medico erũt ſumendæ ad remediorum copiam comparandam, ita.n. a Gal. præceptum legimus. indicatio autem omnis per

contraria capitur, hoc est enim perpetuum atque constans omnium medicorum proloquium, vel vt Aristoteles ait ἀξίωμα contraria contrarijs tollis omnis siquidem actio eodem authore inter pugnantia constituitur. quaproter calidum frigidis, frigidum calidis depellemus. & rursus siccum humidis humidum siccis depellemus medicamentis ex Gal. sententia libro Ther. xi.

Libro. 3. Ther. Gal. de cõstitutione artis et in lib. paruæ artis. Lib. de genera. et interitu & 3. physi.

AN semper à morbo prius indicationes sumendę, uel à causa potius, aut ab alijs.

DVbia tamen & controuersa res fieri potest, an à morbi ipsius natura ut diximus semper, uel à causa potius interdum indicationes accipi debeant. ego uero mi Apolloni ex Galeni ipsius sententia, quem in pectore & in manibus (ut nosti) semper gestamus, à morbo ipso perpetuo incipiendum arbitror, nisi maius à causa efficiente, uel ab ægrotanis uiribus impẽdere periculum uideamus. ita enim ait Gal. cuius uerba hic adscribere etiã libuit. hac ratione fit quæ in propositis iam febribus agẽdorum indicationes nobis præbeant, una febris ipsa, altera effectrix eius causa, tertia uis naturalis: iterum prio ra duo tollenda sunt, tertium est conseruandum. erit igitur rursus hic eadem consideratio quæ supra, ut tum uires, tum causam mutuo conferas. mox si eadem ambo remedia requirent, ea prompte exequaris. sin indicationes pugnabunt, unam præferas, quæ uel à causa, uel quę à uiribus, uel quæ à febre sumitur. ac quæ cæteris sit ualentior, hanc magis sequaris. nec tamẽ cæteras negligas. et hactenus quidẽ ipse Gal. ex quibus uerbis facile colligi potest qđ superius ego dicebã, sed ad alia iã trãseamus.

Lib. 10. Therap.

AN *Ex tribus tantum, uiribus scilicet, morbo, & causa, ut Gal. ait, uel ex alijs etiam sumantur indicationes.*

TRia solū hic, ut uides, enumerauit Gal. ex qbus indicationes sumi asseruit: quapp nō iniuria aliqs fortasse dubitarit, cur idē ipse Gal. alibi sępius plura recenseat, ut ægrotantis ætatem, temperamentum, calorem, pulsum, consuetudinem, exercitia, mores, aerem ambientem, anni tempus, regionis naturam, cœli statutum & reliqua. cui quidem dubitationi nos ita respondendum putamus, ut priores illas necessarias magis indicationes, posteriores uero eo indicationes nominemus: ad quas sanè haud negligenter medicū respicere debere affirmamus: uerum ad eas prius unde maius urget et instat discrimē.

Primo ad Glau. & 9. Ther.

QVID *Agendum à medico, cum morbo simul & causæ occurrendum fuerit.*

VErum si quando acciderit, ut eodem tempore & morbo & causæ sit subueniendum, curandi rationem eam instituet medicus authore Galeno, qua partim caueat, ne à causa efficiente accessio aliqua morbo fiat nisi tollatur, & præsertim cum fieri nequeat omnino eodē ita asserente, ut ab affectu ægrotus liberetur atq; soluatur, nisi ea planè ex corpore abiecta deturbataq; fuerit: partim ad morbum depellendum mentem cogitationemq; conuertat.

Lib. artis paruæ ét 11. Ther. 11. Ther.

QVA *Ratione peritus medicus symptomatum morbum consequentium curam geret.*

QVid uero de symptomatis morbo coniunctis et copulatis dicendum sit, paucis expediam. Sed anteq̃ ad id aggrediar, illud Gal. in memoria haberi uolo in cũctis omnino morbis, medicum eò in primis spectare debere, unde maius immineat periculum: illud autem facile perspiciet medicus, si non symptomatis tantum, ut Gal. inquit, uerum etiam causæ rationẽ symptoma obtineat, & eò magnitudinis & uehementiæ tandem peruenerit, ut uires ægri planè deijciat atq; prosternat. Tunc enim maior syptomatis quàm morbi cura erit habenda, sed de his quidem hactenus, nunc ad reliqua properemus.

Primo ad Glauco.

Libro. 12. Therap.

DE Tribus curandi instrumentis, uenæ sectione, pharmaco, & uictus ratione.

TRia autem sunt instrumenta quibus omnis morbus propulsatur: inter ea tamẽ (ut ego sentio) venę sectio primum obtinet dignitatis gradum: nisi forte secus opinẽtur ἀιμοφόβοι nonnulli, ut Galeni uerbo utar medici, qui inueteratum iam opinionis errorem comprobantes, summo cum humanæ societatis detrimento, quod ab arte medica maximum ægrotis præsidium afferri potest, id in primis ipsi contemnunt atq; abijciunt, nullo maiorũ exemplo, nulla planè ratione, ut id faciant persuasi, sed quodam tantum inepto & puerili timore deterriti, ne uitæ fontem sanguinem exhauriant, dignum mehercule genus hominum, quod inter carnifices potius quàm inter medicos censeatur. sed de his nimium fortasse multa, & ea quidem frustra: nam senex Psittacus (ut aiunt) non timet ferulam, ad ipsam rem igitur exponendam ueniamus.

Lib. de curatione p uenæ sectionẽ & de uenę sectione cõtra Erasistratum.

QVOMODO & quando uenæ se-ctione utendum sit.

CONsydederanda igitur multa nobis in primis erũt anteq̃ ad id remedium accedamus. accidit enim sę penumero, ut eo carere uel necessitate, uel ratione adducti debeamus. neq; enim si i acutis ferè omnibus morbis, ideo etiam in longis omnibus eo opus esse credẽdum est. qnapropter diligentissime sunt hæc prius mente & cogitatione examinanda quàm tali auxilio ægrum subleuare statuamus: natura morbi, ægroti ætas, uires, temperamentum: quæ omnia à Gal. pluribus locis inculcata fuisse deprhendet is, qui eius ingenii monumenta omni studio & diligentia complectetur. an uero semper in morbi pricipio facienda sit uenæ sectio, ego hic ex Galeno exempla adducere possem, quibus longe post ipsum initium missum fuisse sanguinem declararem, uerũ hæc in aliud tempus disputatio reiicietur. illud autem in primis ab optimo medico arbitror perpendendum, quando reuulsione quando deriuatione, quando per locum affectum euacuatione utendum sit. multi enim et graues uiri in hoc decepti sunt, & ego nonnullorum, & Fuschii præsertim errores animaduerti & tibi, & præceptori nostro aliquãdo ostendi. nosti etiam apud Hieronymum Donzellinum iuuenẽ doctissimum, & omnibus ingenii laudibus excellentem quantum dubitauerit summa doctrina Hieronymus Amalthæus Oppiterginus medicus, cum hic esset, aduersus Galenum de uenæ sectione in mestruis prouocandis. adde quòd in quibus morbis, & in quibus corporis partibus, hoc est uel supra renes, uel infra, uel in tempori

Lib. de uenę sectione. Lib. 4. de sanitate tuẽda. 6. epidem. Fuchsius.

bus, uel in temporibus uel in fronte, uel sub lingua, vel in cubito, & ea quidem uel interior, uel exterior, uel media sit secanda. adde à recto, uel opposito latere, in poplite, uel in malleolo, & uniuersa quidem semel, aut iterata, usque ad animi desectionem uel citra fieri debeat sanguinis missio. quæ cum omnia fuerint obseruata diligentissime, nullo modo est dubitandum, quin remediorum omniũ præstantissimum istud sit futurum, quæ medicorum industria afferre possit. animaduertendum tamen & illud quando & quales cucurbitulæ affigi debeant, hoc est uel longæ uel breues, sine uel cum scarificatione, quod et Galenus ipse, & Hipp. prior elegantissime & copiosissime declararunt. ut de sanguisugis etiam taceam, quarũ apponendarum rationem ex eisdem autoribus unusquisque facile discere potest.

Gal. in libro de cucurbitula
Hippo. in libello de medico chirurgo.
Paul. lib. sexto.

DE pharmaco.

IN hoc autem offerendo, ut in alijs fere omnibus natura morbi erit spectãda. calida nanque existente, haud sane aliter repelletur, quàm si frigidum adhibueris. quod & de sicco & humido & frigido siue simplicibus, siue commistis intelligi etiam volo. omnes enim ut diximus, præter naturam affectus a contrarijs eyci solent. quo in loco attendẽdum est à solerti medico, meo iudicio diligẽter, ne pharmacopolarum uel imperitia, uel lucri cupiditate magno cum ægroti, & nominis sui detrimento decipiatur: si simplicia uel composita medicamenta, seu uetera, seu adulterata, seu inepte, & imperite commista ægroto offerat. in memoria habendum etiam illud, aliquos facilius per superiora purgari, id in aphorismis

asserente Hippocrate. ut obiter etiam moneā illud: quod non omni anni tempore pharmacum offerre conducit. ita enim inquit Hipp. sub cane & ante canem difficiles medicationes. sed ne illud quidem tacebo, quod & ad humorum singularium naturā qui exsuperant, si fuerit cacochymia, & ad omnes simul si plethoricum corpus extiterit, est respiciendum. quod autem ad grauem eam & difficilem attinet quęstionem de materia turgente quam euacuandam asserunt Hippocrates atq; Gal. & de fixa immotaq; cuius concoctionem expectandam ijdem prædicant authores, licet multum adhuc animi pendeā, in utrā inclinandū sit partē, ob Gal. ipsius in quarto de sanitate tuēda locū, sequēdū tn̄ arbitror Ioānē Manardū, et uillanouanū, et euacuādā, leuibus medicamētis cōsistētē materiam statuo. ut natura ipsa medici ope adiuta, ut Galenus ait, reliquum facile concoquat. sed de pharmaco dictum sit satis. de quo Galenus in libro quos & quando & quibus purgare oporteat, copiosissime disputauit. iam uero ad uictus rationem, quam tertio loco proposueram, transeamus.

Hipp primo apho. & Gal. i lib. quos et quando purgare oporteat.

DE uictus ratione.

Lib. prio Hippo. de ratione uictus i acutis et lib. primo apho.

TErtia est hæc medicæ artis pars, ut Cornelius celsus testatur: de qua quidem cū Hipp. atq; Gal. latissime pertractarint, superuacanū fortasse alicui uideri posset, si fusius & copiosius nos de hac ipsa loqui uellemus. quapropter id tantum in præsentia admonitum medicum cupimus atque optamus: ut morbum ipsum uel acutum vel longum esse consyderet: nā si acutus diuersa multo est ratio uictus instituenda ab ea, que in longo requiri solet. deinde obseruet etiam tempus eiusdē prębendi. qui

in accessionibus nunq̃ & in uigore, in remissione autem, uel ante eã aliquãdo offerri debet. considerandũ prętere a ãni tẽpus, et ęgroti cõsuetudo, et (ut uno uerbo cõplectar omnia) ciborum ipsorum et quantitas et qualitas ipsa, ut ex Galeni ipsius præceptis percipere facile possumus, maximum autem ægroti auxilium in bene instituta ciborum ratione positum esse nemo negabit, nam vel ea vnica sępenumero fieri solet, ut morbus ipse propulsetur. Reliquũ iã eẽt Apolloni, ut de vrinis, et pulsibus aliq̃d dicerẽ. uerũ q̃a Gal. in lib. de tuẽda sanitate, & Hippo. in p̃dictionibus. et ĩ aph. et ĩ libro de p̃sagijs expulsibus, et ĩ ĩtroductorio, et alibi plura frequẽtissime ut silẽtio p̃tereã Paulũ et Philaretũ, copiose disseruit, supsedebo ab hoc labore, et de medici moribus tãtũ atq; officio paucula q̃dã adscribã. enchiridicloq; nostro manũ extremã ĩponã. 4.2.4.

DE Medici moribus atq; officio.

MEdici mores (ut ego sentio) tales oĩno esse dẽnt, ut nõ solũ turpitudinis culpa, uerũ ẽt suspicione penitus uacẽt: nã ut sapiẽtissime grauissimus author Hip. declarauit: cũ domus ipsę atq; familię sint ei apte atque expositę, cauere summope dẽt ne q̃d scelestũ flagitiosũq; cõmittat: quod et ad sui nominis dedecus sempiternũ, & ad familiarũ honorẽ cõtaminãdũ spectare uideat. sit igitur ĩ primis silẽtii amator, neq; aliis retegat, quod apud alios forte cõspexerit. à mulieribus et manus et oculos et liguã abstinẽtẽ hẽat. deĩde ne ita teneat lucri cupiditate, ut abiecta oĩ honestatis et hũanitatis cogitatiõe, uel pauperes ęgrotos cõtẽnat, uel si curauerit, ab eisdẽ grauiter et acerbe debita extorq̃at. nihil. n. odiosius, nihil peius hoc hoĩum genere accidere põt ĩ humana societate.

In lib. de medico et chirurgo, et. 6. epidemiorũ.

quod reliquum est, studeat medicus diligentissime Galenum semper atque Hippocratem quoad eius fieri poterit imitari. imitabitur autem si in omnibus bonis artibus, hoc est in rhetorica, dialectica, geometria, astronomia, arithmetica, geographia, & philosophia denique uersatus fuerit. nam Deum optimum maximum testor, qui alia ratione medicam artem exercent hodie, magno cum artis dedecore, hominum detrimento, ipsorum impudentissima temeritate suspendio potius & cruce, quàm medicorum nomine digni censendi sunt. nam quae malum quaeso est ista impudentia? nulla bonarum litterarum neque graecarum, neque latinarum cognitione fretos? nulla optimarũ artium scientia ornatos, inconsulto & temere lucrandi cupiditate tractos ad medicam artem exercendam accedere? & ad hominum potius perniciem quàm salutem cõuerti? sed haec hactenus Apolloni pro enchiridioli nostri ratione dicta uelim, in quo quidem, quãtum in nobis fuit Galeni sententiam exponere conati sumus.

56

IOANNIS BAPTISTAE GOY NAEI PYRRHANENSIS DE
situ istriæ ad Pyrrhanensium adolescentum academiam.



VM Superioribus hisce annis adolescentes studiosissimi ex Istria decedens, multarum gentium & nationum loca regionesq; peregrarē: et per Iapides primū, deide Carnos, Tauriscos, noricos, Pānonas supiores, Rhetos, uniuersam propè Germaniā, & Galliā Belgicam iter haberem, nullam ego maiorem unq̄ capiebam animo uoluptatem, quàm cum itinerum meorum rationem cum antiquorum authorum, qui de his regionibus memoriæ aliquid prodidere, assidua lectione conferebam. Verum & si magnam quidem eam per idem tēpus sentire uidebar: cum tamen ad patriæ terræ situm considerandum mentem cogitationemq; applicaui: tunc demum perfectam et absolutam eandem percipere incepi: tunc reliqua externa sordescere mibi sunt uisa: tunc deniq; hanc unam mirari, & eiusdem spectaculo pasci in primis placebat. neque id quidem, ut ego arbitror, fortasse immerito. quando, ut Ouidius ait, Nescio qua natale solum dulcedine cūctos Ducit, & immemores non sinit esse sui. quod & apud Homerum sæpenumero Vlysses, & Lucianus in patriæ encomio confirmare uidentur. Quapropter cum in schedulis meis iamdudum dissipata quædam atq; dispersa de hac ipsa patria nostra domi iacerent, honestū sanè

Ouidius

(ni fallor) me desyderium cœpit, ut ad uestram et reliquo rum Istrorum meorum uoluptatem, hęc in unum redacta libellum in manus hominum emitterentur. in quo quidē labore meo si nihil aliud uel fructus, uel uoluptatis planè percepero, spero uos tamen omnes & diligentiā meā, et meā in patriam pietatem probaturos esse. nam ut Lucillius ille poeta grauissimus Tarentinis & Consentinis suis tantum scribebat, ita ego paucis Istris meis hunc libellum edidisse intelligi cupio. ex quorum tamen numero siqui forte extiterint pallio & barba sapientiam prętendentes, & mea, ut aliàs facere consueuerunt, naso adunco suspenderint: hos quæso rogate adolescentes ut uigilias meas planè discerpant, modo meliores ostēdāt suas. nam quod ad uos ipsos pertinet, ea uultus et animi alacritate libellum meum (ut spero) excipietis. quo à conciue uestro, & studiorum aliquando etiam adiutore de patria terra pertractans uobis dicatur. Valete.

DE Istrię nomine.

ISTRIæ igitur nomen unde fuerit ei impositū uarię sunt authorum sententiæ: Cato quidem in originibus ab Istro Duce in hanc regionem à Iano misso dictam affirmat. nonnulli uero ex græcis scriptoribus, ut idē ait, ab Istro flumine, cui cognomen Danubio nominatam arbitratur. unde ramum eiusdem in Istriam defluere, & in mare Adriaticum mergi fabulantur. ex quibus certe verbis facile colligi potest primam quidem opinionem Catonis satis probari, alterā vero hand omnino placuisse. eā tantū ob rationem ꝙ nullum eius ętate ex istro ramum in Adriaticū descendere maxime nosset. quod & strabo. libro

libro primo contra Erastothenem,& Plinius aduersus Cornelium Nepotẽ sensisse videntur.quo in loco & si ex Ouidij,Aristotelis,& Pontani sententia in meteoris eorundem opinioni occurrere possum, qui & fontes & flumina,& maria deniq; ipsa temporis spatio mutari aiunt,ita vt vel occultẽtur & lateant,vbi prius extabant,vel noua etiam apareant vbi nulla iam fuerant, supersedebo tamen impresentia ab hoc labore,& veram tantum esse grecorum opinionẽ ostendam.qui ab Istro fluuio appellatam Istriam asseruere.& presertim cum latini prope omnes scriptores in hoc consentiant.inter quos Iustinus ĩ primis grauis historicus lib.xxxiii.ita scribit Romãos quoq; Cymbrici belli tumultus velut vltor sacræ pecuniæ ĩsecutus est. ex gẽte Tecto sagorũ nõ mediocris populus prædæ dulcedine Illyricum petiuit,spoliatisq; Istris in Pannonia consedit.Istrorum gentem fama est originem à Colchis ducere missis ab Oeta Rege ad Argonautas raptoremq; filię persequendos.qui vt à Ponto intrauerunt Istrum alueo saui fluminis penitus inuecti,uestigia Argonautarum insequentes,naues suas per iuga montium humeris vsq; ad littus Adriaticum transtulerunt.cognito quod Argonautæ idem priores fecissent. quos ideo vt aduectos Colchi non reperiunt siue metu Regis,siue tædio longæ nauigationis, iuxta Aquileam consedere, Istrique à vocabulo amnis, quo amari concesserant, sunt appellati. & hactenus quidem Iustinus.ex cuius verbis haud difficulter Cato refellitur.& Istriam ab Istro flumine nominatam comprobatur.Sed ad Iustini parumper verba attendamus:propè Aquileam inquit consedere,quibus verbis adductus Blondus Forũ Iulij in Istria contineri falso existimauit.Per iuga autem montium transtulisse humeris Colchos naaim Iustinus asserit,quod & Plinius a diligentioribus scriptum esse testatur. quorum

grauissimorum authorum sententiam quia Blondus Zacharias Lillius & Pius & infiniti propè alij geographi collaudarunt, nos etiam ab eorum opinione non recedemus, istrorumq; nomen atq; originem à Colchis ductam esse dicemus, qui per Istrum nauigantes in Sauum delati fuerint, & inde, vt ait Plinius, in Nauportum. cui nomen ab ea causa sit impositum, quod nauis fuerit portus. quam tandem ad Adriæ littora humeris transuexerint. quo in loco duplici ratione mihi reprehendendus est Petrus Copus, qui ad ipsius Plinij & Iustini verba conniuens, per quietum fluuiolum quem Nauportum ipse appellat, nauim delatam in Adriaticum ait, cum tamen humeris eam translatam vsq; ad littus Adriaticum apertissime authores isti testentur. & rursus quod Nauportum pro quieto intelligat, cum pro illo potius qui medium interfluit Labacum siue Lubianam esset accipiendum. quod & Georgius Rythaimerus, & Franciscus Irenicus, & veritas etiam ipsa ostendūt. quippe inde humeris traductā nauim in Adriaticum nemo negarit, qui fluuium eum, vt ego ex oppidanis percepi cum per Carnos in Germaniam iter haberem, cum sauo & istro commisceri intelliget. Qua quidem in re & Zacharias Lillius et Blōdus primi errarūt. Sed aiaduertendū ēt arbitramur rectius omnino apud Strabonem Nauportū quā Naupontum legi debere. Et hæc quidem de Istriæ nomine satis multa, si vnum illud tamen addidero Franciscū Irenicū in exegesi rerum Germanicarum insanire, qui Istriā ideo Germaniæ coloniā esse nugatur, quòd ab istro Germaniæ flumine sit appellatā. nam nusq̄ ille apud graues & doctos scriptores isto modo factas & deductas esse colonias inueniet: nec si nomen ipsius Istri respiciat, Germaniæ fluuium dici debere cognoscet. Sed Pannoniæ potius, à confluente nanq;, inferius ad Euxinū

vsq; Ister, superius vero ad Arnobã montẽ, vnde oritur Danubius appellatur. teste Appiano in Illyrico, Herodiano lib. vij. Sabellico Aenneadis sextę lib. viiij. Nauigarunt autem Colchi per Istrum tantum, non per Danubium: Sauum n. ingressi, vbi confluit in Nauportum deuenere. Sed ad Istrię terminos veniamus. Quos tamen anteq̃ enumeremus, Petri Copi erratũ animaduertere libet, qui Istriam aliquando Iapidiam fuisse dicit contra oíum scriptorum cum vetustiorum, tũ recẽtiorũ sñiam.

DE Istriæ terminis.

RVrsus hic mihi occurrit Petrus Copus, quẽ ita me Deus bene amet vt summo etiã amore prosequor, vel ob id quod studiorum similitudine mihi coniungitur, vel q̃ ex eadẽ regione et patria propè sit ortus, ex qua ego originẽ duco. Verũ nõ possum ei nõ contradicere pro veritate eliciẽda, pro qua ẽt ex Aristotelis sñia primo Ethicorũ mea refellere sum paratus, si minus vera me prodidisse aliq̃s aliquãdo declararit. Is igitur in suo quodã libello de situ Istriæ ĩscripto nescio quo cõsilio, vel cuius scriptoris authoritate ductus Istriæ initiũ à Timauo facere uoluit. cũ tamẽ à Formione amne oẽs eã incipere passim testent. & vsq; ad Arsiã fluuiũ pertinere. Antiquus. n. Italię terminus, nũc vero Istrię lib. primo geographię au, hore Plinio, Formio amnis, q̃ ĩperatoꝝ tpe teste Strabone lib. vij. longius propagata vsq; ad Arsiã, Istros ẽt est cõplexa. Istrię aũt termini, vt Zacharias Lillius & Blõdus ipse testãtur, hi duo fluuii. Timauũ vero nõ in Istria, sed in Iapidia defluere certo scimus. ita. n. grauissimus poeta ait: castella in tumulis & Iapidis arua Timaui. q̃d et ex Põponio Mela lib. ii. & ex Plinio, et Strabone colligi facile põt. Sed aiaduetẽdũ nũc ad illud, q̃d Põponius et Appianus ĩ Illyrico Istriã cõphẽderũt, q̃ tñ posterioribus tpibus, vt ostẽdimus, ipsi Italię donata fuit. cuius for

na vt inqt Plinius, tanq̃ peninsula ĩ Adriaticũ mare excurrit. Latitudo autẽ qudraginta millibus passuum & ambitus centum & vigintiduobus millibus constat. à quo grauissimo authore non multum dissentit Blondus, cũ iter per mõtes ex Formione amne in sinum fanaticum vel phlanaticũ (vulgo Quarnerum appellant) quadraginta millium passuum esse testetur, & maritimum siquis conficiat centum & vigintiquinq; cõstare affirmet. Hæc eadẽ à Septẽtrione habet Iapides, quos Iapodas Strabo vocat. ab occasu & meridie finitur Adriatico, ab oriẽte Dalmatiæ iungitur. Verum cum in vnaquaq; prouincia plura considerentur, nos tria in primis in Istria diligentissime examinabimus, & primum quidem ciuitates omnes tum veteres, tum receniores, deinde hominum ingenia, tertio soli naturam, perpendemus. quibus perfectis & absolutis extrema manus libello nostro imponenda erit.

De Istriç ciuitatibus antiquioribus.

SI qua igitur est in tota Istria quæ & nobilitate & antiquitate maxime excellat, ea est Pola ĩ primis meo iudicio. quę vt Pomponius ait lib. ij. quondam à Colchis fuit habitata, deinceps Romana facta colonia, cum cuius verbis concordare videtur Plinius. qui ab eisdem eam conditam fuisse dicit, & posterioribus annis eodem deductam à Romanis coloniã. cui nomen esset impositum Iuliæ pietati. quo in loco minime prætercũdum arbitror Stephani gręci authoris errorem, qui Polã Illyrij oppidum esse putauit. ex qua quidem nobilissimam & maximam Gradonicorum Patriciorum gentem Venetijs originem ducere tradit Sabellicus & Adrianus Barlandus in libello de Venetorum Ducibus. cuius dominatum aliquando clarissimi & nobilissimi Sergij Polani, qui nunc Taurisii habitãt.

obtinuere. nam cum Boniniæ ob capiendum ingenij cultum superioribus annis commorarer, id sępenumero Priamus Polanus adolescens optimarum artiũ studiosissimus mihi narrauit, audiuiq; ex Polæ nobilioribus ciuibus. Apparet autẽ in eadẽ multa pclara atq; illustris antiquitatis vestigia, & præsertim omnium quę in Italia sunt pulcherrimum amphitheatrum. prętermitto hic epigrãmata antiquissima & frequentissima, quę siquis legere optauerit, librum eum sumet in manibus, qui Fuggerorum Augustanorum iussu ex pluribus Europę & Asiæ partibus fuit collectus. vt silentio id interea transeam, quod amplissimo & tutissimo portu sit à natura ornata, in quem Romanorum & Gotthorum temporibus infinitus prope nauium numerus reciperetur. Post eam Plinio teste Arsiam versus oppidum fuit exsactium, cuius quod sciam, nullam nunc memoria extat, nisi forte, vt Copus coniectat, eo in loco fuerit situm Quod Cisana appellatur. vbi etiam nonnulla extant antiquitatis indicia. Verum quo minus ei assentiar, decade quinta de bello Istrico tractans Liuius facit, qui fluuium interfluere oppidum dicat, cum hic nullus plane sit fluuius. Ab alia parte quę ad formionem spectat, Parentiũ visitur. de quo Plinius. quod & admirabili quodam portu maxime excellit, & in quo summopere labitur Stephanus Græcorum omnium geographorum negligentissimus. nam non in Istria, sed prope Istriam Parentium esse ait. exiguus est nostra etate locus, & quia ventis meridionalibus est obiectus, & potabilis aquæ laborat copia non valde frequens. vbi etiam Pullarias insulas appellatas esse arbitror, vel prope Polã, de quibus Plinius lib. iiij. cap. xxij. meminit contra Blondi Flauij opinionem qui Iustino politanorum insulam Pullariam dictã fuisse olim existimat. quam ego potius à Plinio Cissam vocari puto. neq; n. vna tantum erat

Pullaria, sed plures, quod ex ipsius Plinii verbis maxime patet. at parentii multæ sunt tales (vt egomet vidisse recordor) quę adriaticis fluctibus obiectę, portum tutissimum reddunt. Iustinopoli vero unica tantum, a Parētio Aegida statūt: cuius ruinæ mari obrutæ, propè Humagū ęstu maris recedente uideri aliquando solent. quem locum incolęuim uerbi græci retinētes, Italico idiomate Capras appellant: licet Copus aliter sentiat, de Pirrhano nescio quid dictitans. & Palladius etiā Fuscus in libro de situ orę Illyrici alibi Aegida fuisse innuat. & hęc quidē omnes ad Adrię littus sitæ sunt urbes. in interioribus autē partibus tres collocat Ptolemæus. quarū alterā Piquentiū, alterā Pucinū, tertiā Aluū, uel Aelurum nomine appellat: priores duas nostro seculo non ualde magnas literis paulū immutatis Piscinū. & Pinguentiū uocitamus. Pucinum autem istud aliud esse à castello illo Pucino, vnde uinū pretiosissimū, cui Liuia Augusti. lxxx. annos acceptos retulit, nomen desumpsit ex uerbis Plinii percipi potest. qui in lapidia itner Tergestū & Timauum eū constituit, & nostra lingua Prosechum hodie nominatur. nam ab hac arce potius quàm a Duino (ut Copus innuit) dictū vinum arbitramur. quod sub hac maxime nascatur optimū, & longius a Duino quam à Tergesto locus absit. vnde si ab aliquo prēterq̄ ab ipsa arce, quę iminet, nominari debuisset, certe à Tergesto potius p̄clara & illustri ciuitate & uiciniori, quàm à Duino ignobili & obscuro oppidulo noiari debuisset. Post has, alias duas recenset Liuius. quarū alterā Faueriam, alterā Mutilam appellat, quarum & Nesactii dirutione in quod principes Istrię, & Aepulo eorum regulus confugerant, bellum Istricum finitum fuit. Et hæc quidem, quod ad uetustiores regionis istius ciuitates pertinet: nūc ad recentiones transeamus.

DE Istriæ ciuitatibus recentioribus.

ITa est autem natura comparatum, vt rerum omnium perpetua sit quedam uicissitudo ac immutatio: omnia siquidem, vt Aristoteles ait in libris de cœlo, quę oriuntur necessario intereunt. quapropter haud mirum certe uideri cuiquam debet, si quemadmodum in reliquo Italiæ ambitu, ita in Istria quoque acciderit, ut quę olim clarę atq; illustres ciuitates extiterint, harũ vel planè nullum appareat uestigium, uel obscuriores multo, minores, & infrequentiores effectæ fuerint, & rursus aliæ in eorum locum nouæ successerint, quę nunc temporis maxime floreãt. ex quarũ numero in Istria inter reliquas mihi pcipua uidet Iustinopolis à Formiõe qnque millibus passuũ dĩstãs, quã Istri populi sclauonico tumultu territi teste Sabelico Enneadis. lib. viij. li. ii. et Blõdo de Italia ĩstaurata ex cõtinẽti in ĩsulã cõfugientes, cui nomẽ Caprarię fuit, condidere. et in gratiã Iustini, qui tunc orientis imperiũ obtinebat, Iustinopolim dixere. Incolę autem adhuc Capritiani nominari consueuerunt. quamuis alio in loco ex non nullorum sententia dicat author idem, temporibus Bucelleni qui agrum Istrorũ deuastauit, eorundẽ principes homines ad declinandã Barbarorũ iniuriam à Iustino seniore, qui Iustinianum adoptauit, in hac insula collocatos, urbe ibidẽ ædificata, quę eius nomẽ retinuerit. Quod si verum esse statuimus, Petrus Paulus illle Vergerius Iunior Iustinopolitanus Episcopus, oibus ingenii & eloquẽtię laudibus ornatissimus, qd eius bona cũ uenia, et summa hoĩs reuerẽtia, cui debeo sp maximã, dictũ uelim, in plectione iuris ciuilis lapsus fuit. q à Iustino instauratã ait, cũ de instauratione nusq̃ fit mẽtio, ab hac parum abest insula opdidulũ certe pulcherrimum, quod et si ætate nostra iunctum sit continenti

Iustinopolis

tamen proculdubio credendum arbitror olim in insula cõstitutum, vnde illi nomẽ quoq; contigerit, in quo qdẽ vt Petro Copo assentior, ita de eiusdem antiquitate mihi plane venit in dubium, nam nullum de hac re authorem habeo. Sed ab ista non procul abest Pyrrhanum patria mea vt Zacharias Lilius ait oppidum nobile, vt Blondus Flauius ciuitas, & inter vtranque Aquauia Nitidus fluius. Sed de Pyrrhani constructione apud nullũ fere scriptorẽ legisse meminimus. magnã tamen sæpenumero, & fortasse veram fecimus coniecturã, ab Aquileiensibus fuisse conditum: & hac quidem via & ratione, quam impræsentia exponemus. legimus apud Paulum Diaconũ, Blondum Flauiũ, & tandem apud oẽs qui de Attila aliqd prodidere, in Aquileæ dirutione & Altini, concordiæ Heracleęq; captiuitate plerosq; multos è nobilibus vt suæ suorumq; vitæ atq; saluti simul consulerent, ad loca maritima cõfugisse, vbi Gradum oppidum, Caprulas, Maiorbũ, Buranum, & Venetiarum denique ciuitatem condidere. sperantes scilicet se ita tutos futuros à Barbarorum iniuria & detrimento. quod si ita est, vt certe nemo negare debet, quid prohibebit quęso qn dicamus ex eis aliquos naues igressos ad aduersa maris Adriatici littora nauigasse? vt ibi in tutum locum sese reciperent, & præsertim cum ad hoc faciendum naues minime deessent. nam teste Blõdo & Herodiano, & Paulo Diacono & capitolino Aquileiæ nobilissimum erat emporium, quo vndique conuehebantur per Adriam peregrinæ merces. ita vt in iis partibus Pyrrhanenses mei consistentes paulatim ligneas domus ex vicina sylua ædificare inciperent, deinde ampliores & splendidiores cursu temporis fabricarent. idque in extremo ipsius maris littore, quo Barbari peruenire ex interioribus Istrię locis minime possent. quę quidem nostra opinio si non nullis morosis

& inuidis ingeniis minime satisfecerit, rursus afferam aliam coniecturam, quæ certe haud poterit improbari. nam vt paulo superius etiam diximus tum sclauorum, tum etiam Bucelini temporibus si ob hoc fuit condita Iustinopolis, vt ibidem tuto agerent à Barbarorum incursionibus nobiles Istri, cur de Pyrrhano idem asserere nequeamus? & presertim cum eo plane in loco sit situm, vt difficilis cum equitibus tum peditibus ad eum aditus pateat. quod ita verum esse crediderim, vt falsissimum plane illud constantissime audeo affirmare quod aiunt nõnulli à Pyratis denominari, nam à forma potius Pyramidis, quã retinet promontorium, in quo est conditum, appellatum iudicamus. vt preteream id quod tertio orthographię ratio inde non esse dictum maxime ostendit. duos habet nobilissimos portus, quorum alter vrbi inest, longe in mare proiecta & summis expensis extructa mole. qua à ventorum & tempestatum iniuria seruantur naues. alter vero ab eadem non procul abest. & hic quidẽ maioribus nauigijs sustinendis aptissimus. vbi sępius ingentem eorum numerum ego conspexi, quæ vt Venetias proficicerentur commodam tempestatem expectabant. eximia uero & excellens super omnes alias vni tantum patrię meę ex omnibus Istrię ciuitatibus debetur laus, quod genuensibus eam oppugnãtibus sola eis acriter restitit, reliquis omnibus ad eorum imperia facienda sponte vel timore adductis, & a Venetorum obedientia alienatis, vt sabellicus ipsi testatur. Sed hæc de patria hactenus, à qua per quinque millia passuum distat salborii promontorium, ad quod Alexandri Pontificis tempore, qui Venetiis sub olitoris persona latuit ob timorem Federici Barbarossę, captus fuit Otho Imperatoris filius, prælio nauali commisso cum Sebastiano Ciano Venetiarum Duce pro pontifice dimicante. qua in re Deum immortalem quantum la

Salborii
promu[illegible]

psus est Sabellicus qui in Iapidia Salboriũ esse crediderit, cum tamen in Istris sit constitutum. Sed inter Pyrrhanum, & Salborium fluuit Draconius (nunc Dragognã appellant) fluuius. à Salbor. o est Humagum, deinde Ciuitas noua, ciuitates ambæ ob aeris intemperiem haud omnino tutæ. Humagum tamen & portu & clementiori cœlo alteri præstat. Post has supra Parentium est Arupinum, quod Ruignum appellant. oppidum quidẽ haud spernendum, in rupibus vnde dictum, olim conditum, vt Copus asserit. Verum nos secus arbitramur, qui Arupinum, vel Aurupinum in Iapidia fuisse dicimus ex Appiano, in libello qui Illyrius est inscriptus. In mediterraneis vero sunt Buleæ & Mõtona, amœna & frequẽtia satis loca, & cũ aeris clementia, tum etiam rerum omnium copia valde præstãtia. est Dignanum, & Grisignana, Primontium. Portula, Raspum, Castrum nouũ, & infinita prope alia oppidula, de quibus siquis diligentius proditum videre cupit, is adeat Petrum Copũ et Blõdũ in hac re diligentissimos, et ob hoc ẽt ab Istris omnibus valde amandos. De Stridonis autem oppido, quod Sdregna nonnulli vocant, ex quo ortum aiunt Hieronymum grauissimum & sapientissimum ecclesię christianæ propugnatorem, multa quidem dicenda essent, & præsertim contra VVimphelingum Germanũ. qui supra vires etiam contendit eum fuisse Germanicum, digna mehercle flagris dementia. Verum cum Zacharias Lilius & Blõdus eum ex isto oppido genitum testentur haud quaquam temere ad horum grauissimorum hominum sententiam adijciendum putaui, neque miror etiam Erasmum Roterodamum in præfatione in Hieronymi libros non libenter omnino Istorum iudicio acquiescere, cum exemplo ęsopicæ vulpis quę caudam omnibus aliis abscidendam vulpibus exhortabatur quia casu suam absciderat, ita ip

ſe qui inter barbaros natus fuit, Dalmatam potius quam, Italum optabat eſſe Hieronymum. neque id obſtat quod adducunt ex eius libro de viris illuſtribus, eum ortum eſſe ex oppido Stridonis, quod in Pannoniæ & Dalmatię confinio poſitum fuit. quandoquidem maxima pars Iſtriæ à Dalmatis habitatur, & Pannones, vt Sabellicus ait, ſi ad antiquos Geographorum terminos reſpexerimus, à Dalmatis ſunt diſcreti, tamen prorogarunt aliquando lõgius limites & partem Illyrici occuparunt, vt Blondus etiam ipſe teſtatur. ita vt facile in hanc veniam ſententiam Hieronymum hac ratione eſſe Iſtrum, & præſertim ſi vera ſunt ea quæ tradit Blondus de monumento Euſebii eiuſdem patris. ſentiant quicquid velint cæteri vel inuidi, vel iniqui huius rei ęſtimatores. Sed de Iſtriæ ciuitatibus ſatis, vt opinor, multa. Nunc ad reliqua quæ promiſimus tranſeamus.

DE ingenijs Iſtrię.

ISTrorum ingenia (quod ingenuę ſatendum arbitror & negari minime poteſt omnino,) mirum in modum mitia, atque ad humanitatem ſunt maxime prona. licet Liuius aliter ſentiat, qui ferum Iſtrorum genus appellarit. durata laboribus corpora & eorundem tolerantiſſima, ſi quę alia vſquam in tota Italia. multa olim in armis cum aduerſus Romanas legiones prope Aquileiam, & alibi ſępius teſte Liuio deca de .v. tum contra Venetos forti & excelſo animo Sabellico authore geſſerunt. Ad literas vero a natura quaſi facti videntur Iſtri, & niſi paupertas ipſa obſtaret, maxima & eccellentiſſima ex eadem quotidie prodirent ingenia. nam ad quodcunque literarum genus hi ſe conuer-

Paulus Vergerius

terint summum in eo laudis & gloriȩ fastigium occupant. Et vt à Iustinopoli initium faciamus. Petrus Paulus Vergerius senior, ex nobilissima Vergeriorum gente ortus, libellum edidit de ingenuis pueris instituendis, quo vno ingenii sui monumento vel propter summam in eo Ciceronianam eloquentiam, vel propter morum prȩcepta sapientissima, tantã apud bonos omnes laudem meruit, vt post mortem immortalitatem sit consecutus. hic charissimus Carrariẽsibus Principibus viuens fuit. quorum omnium vitas, vt Patauii visuntur, & breuiter & elegãter conscripsit. Adde quod & postremo ab eorum interitu Sigismundo Pannoniæ Regi inter primos habitus fuit. ex cuius posteris nobilissimis tres eodem fere tpe fratres extitere. quorũ alter qui Aurelius est appellatus, summo semper honore & præmio à Clemẽte. vii. Pontifice maximo affectus fuit. alter deinde Ioannes Baptista nomine ob vitæ & morum integritatem Polȩ Episcopus declaratus: tertius deniq; Petrus Paulus Iunior Iustinopolis idem Episcopus, humaniorũ studiorum & euangelicæ lectionis studiosissimus. Addo omnibus magni & excellentis ingenij & eloquentiæ viribus præditus. ad quos accedit Othonellus Vida iurisconsultorum eloquentissimus, & eloquentium iurisconsultissimus. vt silentio prȩtereã Georgium Bellum. Marcum Nucium, & Franciscum Chrysonum iuuenem eruditissimum, Ioannem Natalem à Nauilio iurisperitos omnes, omnes politiorum literarum cognitione & vitȩ probitate clarissimos. Nicolaus autẽ vercius tanta humanitate, morum & vitæ innocentia, tanto deniq; omnium virtutum & laudum genere præditus, vt à bonis omnibus perpetuo predicetur ametur, & obseruetur. Philosophi vero illustres è senioribus Franciscus Zarotus cum interiorum studiorum sciẽtia, tum morum elegantia admirandus. ab hoc Christophorus

ille Vercius mihi occurrit, qui tantos in philosophię & optimarum artium cognitione progressus fecit, vt magnum aliquando ab eo iuuene sit perueuturum ad patriam ornamentum. neq; n. ex tanto ingenij acumine & tam profunda rerum omnium scientia exiguum quidq; & leue expectari vel debet vel potest. Leander deinde Zarotus adolescens, meo iudicio bonorum omnium studiorum cupidissimus & incredibili humanitate, modestia & pietate etiam prӕditus, eum de se aliquando documentum dabit, vt eius nomine patria terra per se illustris multo illustrior sit futura. prӕtermitto hic Annibalem Chrysonum & Christophorum Zarotum, qui in Ouidij ibin commentarios scripsit, viros omni laude prӕconiorumq; genere dignissimos. Taceo Andreã Diuum senem optimum, à quo Homerus: Theocritus & Aristophanes in latinum sermonem conuersi sunt. Sed quonam te piaculo sileam Antoni Heli iuuenem omnium, quos vnquam nouerim, prӕter literarum cognitionem humanissimum. propter cuius singularium virtutum cumulum à summis ecclesię omnium ordinũ principibus amaris, coleris, in oculis ipsis haberis. à quo ego tam liberaliter, nisi animus aliò conuersus fuisset, vt cum Ceruino Marcello Cardinali sanctӕ crucis quotidie essem, è Germania vsq; sum inuitatus. O humanitatem, liberalitatemq; à me perpetuo prӕdicãdas. Sed de te, alias copiosius mi Antoni, reliqui sunt duo studiosissimi iidemq; doctissimi iuuenes, Aloysius correrius & Ambrosius luscus, de quibus alibi. nunc ad propositum negocium iam reuertar. & primum quidem, vt è Iustinopoli iã discedamus. Floret ĩ insulӕ oppidulo Petrus Copus propter summã eius industriã in Istria terra illustranda positã valde laudandus. Pyrrhani vero & si multi olim ex vitaliũ prӕclara familia, & ex Goynӕorũ Apoloniorũq; gente multi extite

rint laude digni, ad eos potius nostrã orationẽ breuiter cõuertemus, qui nunc clari & illustres viuunt. inter quos iurisconsulti primi mihi occurrunt, Marcus Petronius & Marcus Antonius Venerius. quorum alter tanta morum & vitæ probitate, tanta librorũ sacrorum cognitione excellit, vt quem cum eo conferam habeam neminem. alter uero vsq; adeo admirabili eloquentiæ ui, & ingenij acumine pollet, vt perpetuo eum amarim atq; suspexerim. hos subsequitur Nicolaus Goyneus frater, à quo iuuene magnum & patriæ & familiæ nostræ accessurum ornamentum summopere spero. In humanioribus autem studijs mirum est quantum excellat Ambrosius Phæbeus, & Ioannes Antonius Petronius præceptor meus, à quo tanquam à purissimo fonte literarum latices hausi. Huc accedit Petrus Rosignolus homo doctissimus, & ex eadem gẽte ortus Nicolaus. Rosignolus tanta Platonicarum rerum scientia, tam excellenti librorum sacrorum cognitione, tam multiplici rerum variarum notitia, vt sepmer eius eruditionem fuerim admiratus. E medicorum vero ordine: vnus tantum, Sed is quidem talis, qui multorum instar haberi possit Ioannes Antonius Apollonius. philosophiæ & artis medicæ studiis, charitatis, & beniuolentiæ uinculo mihi coniunctissimus. cuius ego adolescẽtis ingenij præstantiam & medicinæ peritiam ita admiror, vt planè animum meum explere non possim. Sed transeo iam ad Parentium, in quo Franciscus Pãtherra vt Istrorũ omnium ferè in postremo loco situs, ita Deum immortalem testor cum aliorum quolibet conferendus. siue. n. ad philosophiæ studia spectes, siue euangelii doctrinam in eo consyderes, nemo eodem perfectior & absolutior reperietur. Verũ hactenus de studiosorum hominum ingeniis, nũc de his qui in armis & rei militaris peritia clari euasere, pertractemus, ex quorum nu

mero Iustinopoli ex Tarsiorum Familia extitere duo. quorum alter sub pontifice maximo militauit, & totius exercitus rector & gubernator creatus fuit, qui cum unici filii sui interfectorem obuium sibi factum interimere possetat tamen inermi, & ad genua abiecto vitam ipsam condonauit. alter vero Damianus reipublicę venetę stipendia diutissime fecit, & summam etiam inde gloriam reportauit. Vt taceam Antonium Zarotum qui magna cum laude triremium pfectus a Venetis declaratus, multas res praeclaras edidit. postremus, vero mihi occurrit Ioannes Baptista a castis Pyrrhanensis meus, qui ob excellentis artis militaris peritiam, ob strenue & praeclarissime in bello gesta, maximis a republica veneta afficitur praemiis. de quo quidem viro alias alii copiosius scribent fortasse.

DE Istrici soli natura

INterea quae maxime ad vsum hoium expetuntur. quatuor praecipua in Istria reperiri consueuerunt. & tria quidē copiosissima vt vinum, sal, & oleum, reliquum autem quod est frumentū non oino nascitur multū. quod siue soli ipsius ingenio, siue hominum negligētia accidat, asserere quicquam certi minime possum, credo tamē poetae dictū eē verissimū, cum ait. Hic veniūt segetes, illic felicius uuae, Arborei foetus alibi. quicquid autem fert, id in suo genere est praestantissimum. nā quod primum ad vinū pertinet cuius apud Dioscoridem, & Pliniū & Galenum infinitis propè in locis sub Adriani nomine facta est mentio, ex eo genere mihi videtur, quod Galenus in libris de facultatibus alimnetorū, & therapeuticę. vii. & de sanitate tuenda & xii. Therapeuticae οἶνον ὀινώδη. hoc est vinosum & potens appellat, contrarium videlicet ei quod Hipocrates ὀλιγοφόρον. hoc est pauciferum & imbecillum no-

mindt. Oleum vero adeo excellens, vt cum Venafrano & quocunque alio laudatissimo conferri possit. in cuius facultatibus diiudicandis incredible est quantopere deceptus Galenus fuerit, qui lib. ther. xi. amarum & astringens eum asseruit: cum tamen experientia rerum magistra manifeste pateat, amaritudine & astrictione, vel actu vel potestate plane vacare. quod & tributi loco pependerunt aliquando Venetis Istri, vt Sabellicus refert. De sale autem nihil est quod dicamus, quando id omnibus fere constat quantum in Istria proueniat, & quantum emolumenti inde capiat Veneta ipsa Respublica. Fructuũ vero omnis generis maxima copia, & hi quidem dignitate inter reliquos Italiæ pręcellentes. quod & de omni piscium varietate dictum velim. de quibus etiam aliquando paucula annotata in manus hominum proferemus. Sed hec hactenus quod ad Istriam regionem pertinere mihi est visum. Siquid autem fuerit in quo hominibus doctis, vel exteris, vel Istris etiã meis errasse deprehendar, æquissimo animo patiar cõmoneri, & pręsertim à bonis & eruditis viris. à quibus summopere discere cupio. Verum ne qui fortasse maleuoli nobis obiiciant Ptolemęum & Liuium in Istria complexos esse Tergestum, quod nos tamen ab ea exclusimus. Respondemus hoc pacto, ab his authoribus nõ posse aliquẽ certos Istrię terminos elicere, cum ex his quos secuti sumus, certissimos et aptissimos colligere possit. et ideo nos illos potius dilucidioris doctrinæ gratia eẽ imitatos.

De Timaui ortu.

Reliquum est vnum tantum, quod in præsentiã nobis succurrit, vt de Timauo verba aliquantulum faciamus. de quo Copus cum loqueretur, haud exiguo errore ductus, iuxta Caciti pagum inter carnos ex duabus ortum foueis tradit.

quo in

quo in loco sciendum est in primis dubium esse apud authores an fluuius, uel fons, uel lacus sit nominādus: Virgilius siquidem fontem Liuius lacum decade V. Plinius uero, & alij multi flumen esse dixerunt. Locum autem per quem fluat inter Tergestū & concordiam esse Pomponius ait lib. ij. & Plinius prope idē fateri uidetur q̄ ob rē miror hac ī re sūmope Flauiū Blōdū, q̄ ī agro patauino eū quē Brētā appellāt, Timauū fuisse asserat, cū tn̄ uere Meduacus sit appellādus. nā timauus is oio ē quē apud vicū. s. Ioan. de Duino ex pluribus fontibus, nō aūt ex duabus foueis tātū, ut copus ait cōspeximus exeūtē. ita. n. iqt Pomponius lib. ij. Timauus nouē capitibus exurgēs, et uno tātū ostio emissus, cui cū Virg. ī hac re, maxie cōuenit nā et ille cū de Timauo loq̄retur, nouē ora, hoc ē pricipia un̄ effluat, ei attribuit, sic. n. ait, Antenor potuit medijs elapsus Achiuis

Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus.
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem uasto cum murmure montis
It mare præruptū. & pelago premit arua sonanti.

Licet hic poetice aliq̄tulū, et ὑπερβολικῶς nimiū rei paruitatē augeat Virg. quapp reïciēda oio ī hoc est copi ipsius sentētia, q ex caciti foueis quibusdā ortū credat Timauū, & p̄sertim cū de hac ipsa re ita sentiat Pet. Bonhomus Tergestinus episcopus, uir, deū īmortalē testor, planè singularis. nā et totius antiq̄tatis ē pitissimus, et sūma humanitate, prudētia, sapiētia, et euāgelicæ doctrinę purissima et syncerissima cognitione excellētissimus. ut p̄termittā Bernardinū Barbū iuriscōsultū eruditissimum, in quo incredibilem quandam infinitarum propè rerum memoriam atq; scientiam semper suspexi, amaui & colui: quibus cum de Timauo aliquoties sermonem habenti mihi ita esse ut dixi constantissime asseruerunt.

DIALOGVS, QVOD PHILOSOPHI ET Medici dogmatici iurisconsultos dignitate praecedant. Ad M. Antonium Ianuam, et Franciscum Frizimelicam praeceptores.



IV Multumque superioribus annis magna cum animorum dissensione, tum verborum armorumque propè contentione certatum fuit: cui nam potissimũ philosopho uidelicet et medico, aut iurisconsulto primus honoris, & dignitatis gradus tribuẽdus uideretur. qua tãdem in disceptatione & si numero opibus, atque poteatia superiores fuerint iurisconsulti maior enim pars (ut inquit Liuius) sæpenumero meliorem uincit: tamen ea est doctissimorum omnium iudicio, philosophorum medicorũque dignitas & excellentia: ut ne ij quidem iurisconsulti dignitatem suam retinere queant: si philosophiæ præsidijs ornamentisque careant. quapropter cum id mente & cogitatione sæpenumero mecum consydero: haud secus illos fecisse percipio: quam de cocyce aue omnium ingratissima Aristoteles tradat: quę cũ in alienis nidis educata institutaque fuerit: eas tandem educationis institutionisque gratias referat: ut unguibus educatricem ipsam discerpat & laniet. sed eorum ambitioni istud, quæ plerunque hominum animos præcipites & transuersos agit, est permittendũ. illud autem in præsentia a me examinandum expendendumque esse censui: quo iure quaque iniuria sibi ij primum uendicent dignitatis locum: deturbatis ui atque deiectis philosophis & medicis de eiusdem possessione iustissima. Qua in re adduxi pro vtraque parte argumenta & rationes, quas uel unusquisque iuris-

Cocitaaues

consultus ad causam philosophorum & medicorum infirman dam afferre posset, uel ad suam defendendam isti ijdem proferre consueuerunt. uerum, ut ipsi etiam aiunt iurisconsulti, a causa cadant qui plus petunt quam eos deceat, necesse est. in quam ipsi legem cum cæco errore & impotenti ambitione ducti peccarit: haud moleste ferrè debebunt, si secundum philosophos & medicos potius, quam secundum ipsos iudicarim. Quod si ad alium forte appellare quis ex eorum numero cupiat, ob latam a nobis sententiam: is quæso humaniter atque pacate cogitationes suas literis mandet: nam nullum nos (modo sanum fuerit iudicium) detrectare perspiciet: qui iusta causa freti philosophis, et medicis sartam tectā gloriā restituere cupiamus. uos aūt in primis rogatos uelim: pro uestra in me. singulari beneuolentia & pietate, hoc studiorum meorum argumentum quodcumque id fuerit complecti uelitis: nihil enim maius in præsentia afferre potuimus, quo uel industriam in litterarum interiorum studijs nostram, uel disciplinæ uestræ uestigia in animo meo impressa ostēdere possem. unde quemadmodum de psyllis & marsis populis refert Plinius, qui cum germanos ab adulterinis filijs dignoscere uolunt serpentibus eos obiiciunt: ita me in aciem aduersus innumerabiles iurisconsultorum phalanges prodeuntem, uerus ne an falsus uestrum imitator fuerim perspiciatis. credo autem futurū omnino, ut uobis saltem aliquantulum satisfaciam, & si iuriscō sultis fortasse nihil, quibus ne Vlysses quidē ut Gryllo apud Plutarchum omnibus ingenii et eloquentiæ uiribus persuadere posset, ut melius sapere vellent. & priorem nonnihil sententiam cōmutarent facio autē de hac ipsa re Bononię disputantes grauissimos et sapientissimos uiros Ludouicum a Buccaferrea philosophum, Benedictum Victorium medicum, & Hieronymum prę uidellum iurisconsultum. qui cum simul forte aliquando conue

nissent: de multis uarijsque rebus ultro citroque sermonibus habitis: in hanc tandem de philosophorum iurisconsultorumque dignitate disputationem hunc in modum delapsi sunt.

MVlta quidem sunt benedicte & Præuidelle optimarum artium studia: in quibus homines & corporis & ingenij uires intendunt: uerum ea nescio quo pacto cęteris omnibus notiora illustrioraque extant: quæ nos iam inde ab ineunte adolescentia complexi sumus: & nunc in maximo, & florentissimo bononiensi Gymnasio profitemur. qua in re & si unusquisque nostrum suo proprio peculiarique contentus esse debet: tamen ego in primis (quod bona cum uenia dictum uelim) in hoc præcipue gloriari possum, quod in eo genere quam diutissime sum uersatus: quod & reliquis omnibus, et tuo præsertim Pręuidelle, cum maximarũ rerum scientia, tum uarietate, suauitate, & copia nobilius atque iocundius sine controuersia appellari queat. quod & si grauissimorum ornatissimorumque scriptorum testimonijs comprobatur: tamen quia nec te id quidem negare arbitror: silentio ea, in præsentia præteribo. illorum autem ambitiosam cupiditatem facere non possum quin summopere mirer: qui eo usque ambitionis peruenerunt, ut iuris legumque disciplinam, philosophiæ studijs anteponendam putarent. & de dignitate & excellentia iurisconsultum cum philosopho non tantum contendere uellent: uerum etiam illum isti anteferendum existimarent. tunc Præuidellus quid nam quæso ais Ludouice? an tu me ita stupidum cẽses, ut quod tot seculorum iudicio, tot doctissimorum hominum sententia, tanto deniq; omnium gentium & nationum consensu constitutum & confirmatum fuit: iurisconsultum uidelicet, philosophum hominem dignitate præcellere: ego id in pręsentia in tuam gratiam, tãq̃ pręuaricator aut transfuga euersum & dirutum uelim? Quin potius tantum abest ut id tibi vel vltro pe-

tenti, vel falso de me suspicanti non negare decreuerim: ut a te etiam mirum in modum dissentiam: & primum dignitatis locũ iurisconsulto attribuendum putem: siue quod id rei ipsius natura postulet: siue quod longi temporis, præscriptione eum acquisiuerit: siue quod præiudicij iure eundem multo ante possederit. Tu ne igitur in hac etiam es hæresi præuidelle respondit Ludouicus? quem ego unum e iurisconsultorum vulgarium albo, tanq̃ ex coruorum grege olorem eximere consueueram: uel propter incredibilem rerum cognitionem: uel propter latinę linguæ peritiam: uel propter dicendi scribendiq; hubertatem & copiam. tu ne inquam mi Præuidelle ita sentis? at si placet igitur, & a negotijs tibi est otium, de hac ipsa re uelim aliquãtulũ colloquamur: ego siquidem ita censeo non solum philosophum hominem qualẽ me esse quoq; profiteor, uerũ etiã medicum, ut pro benedicto aliquid dicam, iurisconsulto anteferendum. At inquit benedictus uidebimus hoc posterius Ludouice: neq;.n. indicta causa medicos ignobilitatis nota affici patiar: id autem in primis rego tractemus cũ Præ. qđ ad philosophi iuriscõsulti q; pertinet nobilitatem. si enim tu eos ui in alienam dignitatis possessionem irruisse ostẽderis: plana mihi & facilis sternetur uia, ad medicorum dignitatem nobilitatem q; defendẽdam. Tunc subridens Præuidellus, ne hercules quidem aduersus duos ait: uerum magni est animi arbitror, pro ueritate ipsa stantem non timere. cui rursus hunc in modum Ludouicus. primum igitur Præuidelle te hoc rogatum maxime cupio, num quod uniuersa iurisconsultorum natio ratione & necessitate quadam impulsa fateri solet, tu quoq; uerum esse existimes: philosophiæ uidelicet partem unam esse iuris legumq; scientiam: qua iustum ab iniusto, licitum ab illicito secernentes, veram

(ut ille inquit)non falsam imitamini philosophiam? quid ni re-
spondit statim prçuidellus? est enim vt ais Ludouicę: Lud. At
philosophi nostri πολύσημον hoc philosophiæ nomen in plura
significata sunt partiti:et unam quidem philosophiæ partem cō
templatiuam,alteram uero actricem nominare consueuerunt.
quarum priorem rursus alia ratione diuidens Aristoteles sexto.
diuinę philosophiæ uolumine,& alibi sæpius,partim quidē res
atq; naturas motione uacantes,motus tamen cæteris afferentes
consyderare affirmat:tumq; primæ & diuinæ philosophiæ no-
men ei atribuit:partim substantias materiæ coniunctas & co-
pulatas:quæ naturalis etiam appellatur:postremo ea quam ma
thematicam dicere consueuit in utriusq; illarum media sede cō
stitutam et collocatam,& hæc quidem quatenus,ad alterum pri
mæ diuisionis membrum spectare uidetur.quod autem ad reli-
quum pertinet:in quo actricem philosophiæ partem positam es
se monuimus:hæc ea est etiam quam moralem alio nomine uoca
re solemnus . quæ uel in uniuersum ad totius humanę societa-
tis multitudinem spectat:uel ad rempublicam aliquam regendā
& gubernandam,uel ad priuatam atq; domesticam rerum atti
net procurationē.in qua tu igitur quæso prçuidelle reponis phi
losophiæ parte iuris ipsius cognitionem:nam errore ductus for
tè superius eam scientiam appellaui: Ego vero ait præuidellus
moralem eam esse assero atq; affirmo.uerum qua ratione id a te
factum est rogo:ut in ista tua philosophiæ partitione non om-
nia planè membra comprehenderis: quod fortè si ad platonis
pręcepta in philebo & in Parmenide,& ad Aristotelis normā
in altero τῶν ἀναλυτικῶν δευτέρων libro respicias,haud
ita facile reprehēsione uacare poterit,multo.n.plura ex quorum
dā sententia in sua illa comētatione in Arist. p̄dicamenta,recē
set simplicius,quā tu in pręsentia enumeraris. tunc Ludouicus,

mihi quidem certe summopere placet quod moralem philosophiæ partem esse ius dixeris: nihil enim ex te mihi gratius atque optatius accidere potuisset: neque quod ad rationum mearum iacienda fundamenta futurum esset conuenientius. uerum quod tu ex Simplicio contra meam philosophiæ partitionem attulisti: scito in hoc eũ errare mirum in modũ, qui grãmaticem, Rhetoricẽ, & dialecticẽ Philosophię membra esse iudicarit, neque enim id vsquã asserit Aristoteles, sed facultates quasdam eas appellat, & quodam modo instrumẽta, quibus in omni artium studiorũque genere vti solemus, quod cum alibi sæpe multoties, tum in lib. Rhetorices ad Theodectem manifestissime ostendit. redeamus igitur ad propositã disputationem. Quo in loco quæso dic Præuidelle quid tu putas: perfectũ imperfecto esse nobilius & prius: an vero contra? Ego vero respondit ipse vel tuo Aristotele teste lib. primo de cælo & mundo perfectum imperfecto prius esse & nobilius dicerem, siquidem circularem lineam recta priorem vnicuique perspectum & exploratum arbitror Lud. At si ita est (ut ais) pars ne rei alicuius, an tota ipsa res appellari debebit perfecta? Præui. immo uero tota cum fuerit res, perfecta dicetur, cum uero pars: imperfecta. triangulus enim si tres habuerit æquales lineas, perfectus & absolutus esse credetur: quod si una defuerit imperfectus existimabitur, immo uero nõ erit triãgulus. Lud. At iurisconsulti unam tantum philosophiæ partem (hoc est moralem) secuntur et excolunt, cum philosophi eam uniuersam complectantur, igitur, illi imperfectam: philosophi uero perfectam consecuntur: & rursus perfectum imperfecto natura prius & nobilius: igitur priores, & nobiliores iurisconsultis philosophi. nonne ita tibi recte conclusum uidetur? Præuidellus recte tu quidẽ ratiocinaris Lud. uerum nonne hoc philosophis etiam tuis est cognitum, & iudicatũ: cuius naturę sit totũ,

eiusdē quoq; illius esse singulas partes? Lud. ita quidē aiūt, neq; .n. inficiari id licet, quod ab omnibus ferè una uoce prędicatur. sed de eo toto intelligunt: quod e similaribus, nō autē e dissimilaribus partibus est cōstitutum. unde etiam maxima admiratione afficior Ammonium in Arist. categorias, ubi an logice pars sit philosophię pertractat, absolute partis et totius eandem substantialem esse dixisse materiam: sed de hoc aliàs copiosius. prę ui. ego autem ut exemplo etiam proposito istud ostendam: quemadmodum totius terrę ob insitam natura grauitatem est in inferiorem locum deferri: ita etiam glebę unius proprium peculiareq; esse uidebitur ad eūdem descēdere. quapropter terra ipsa tota & eiusdem gleba: forma & ratione non different. quod si ita est ut tu negare non potes, æque perfecta gleba, ac totus terrę globus esse dicetur. quod et de morali philosophia hoc est de iuris ipsius scientia: & de uniuersa eadem simili modo a me dictum uelim existimes. unde si hoc ita esse mihi concedis: nullo pacto nobilior erit philosopho iurisconsultus, ut tu paulo ante tua ratiocinatione collegisse uidebaris tunc Lud. multum quidem interest Prę. doctissime in philosophicis disputationibus si quid subiecto quod ὑποκείμενον gręci uocant, uel ratione differre soleat. quapropter illud tibi forte concesserim philosophiā moralem ab aliis philosophię partibus ratione minime differentem: subiecto tamen diuersam et aliam omnino esse cōtenderē. nam primę et diuinę philosophię subiectum esse deum optimū maximum quis ignorat? et contra moralis philosophię humanā ipsā (ut nōnulli uolunt) felicitatē et beate uiuendi rationē. quod si ita esse fateri cogeris: iterū argumētatione te huiuscemodi p̄mo & urgeo. scientiarum & artium omnium ea nobilior, quæ p̄stantius et excellentius subiectū contemplatur Arist. authore ī prima pagella libri de anima prima autem & diuina philoso-

phia nobilius multo & dignius philosophia morali subiectum consyderat: igitur prima philosophia morali nobilior atq; dignior existimāda. num tu talia negare audes? Prçuid ego uero minime. sed nōdum effecisti quod cupis. neq;. n. si prima philosophia morali est dignior: philosophus etiam qui in ea uersatur, morali philosopho erit nobilior. Lud. quin uel te inuito Prçui. id etiam subsequi necesse est. quandoquidem nobiliorē eum omnes artificem putāt, qui circa pretiosius et dignius subiectū elaborat, quam qui uilem et contemnendam materiam tractet: talis autem est primus et diuinus philosophus si cum morali conferatur: nobilior igitur est necessario. hęsitabat hic Prçui. neq; satis quod responderet confirgere cōmin sciq; poterat: difficile nanq; est et uiro graui pręsertim atq; doctissimo ueritati repugnare: pro qua ēt elicienda ut Arist. ait sibi ipsi cōtradicere nō est turpe existimādū: cuius tñ amore adeo pauci accēduntur et inflāmantur. ut īnumerabiles ferè reperiri sępenumero soleāt. qui ut hirudines in cruore exugēdo rumpātur potius: quam uel transuersum digitum de pristina et falsa opinione decedant: uerum tandem ad Ludo. conuersus ait: postq̄ ita cupere uideris Ludouice, satisfaciam desiderio tuo: cedendum igitur arbitror ī hoc philosophis aliquantis per. sed quid de naturali dices philosopho? nū et hūc nobis pręferēdū esse cōtēdes? quid ni? inquit Lud. nōne ille cœlestium corporum naturam contēplatur? quæ ut lib. vi. ethicorū Arist. ipse testatur, sunt multo īferioribus nobiliora? ista. n. oīa orta itereūt, illa aūt nūq̄ generatę sunt æterna. ęternū uero et imortale, caduco et fragili est nobilius: igitur naturalis philosophus morali nobilior. qd ? qd mathematicus, quē ī medio diuini et naturalis philosophi collocauimus, naturā et eēntiā aīę scrutatur et inuestigat: moralis aūt accidētia tātū hoc est uirtutes morales cōsyderat: quapp cū nobilius, clarius, et

illustrius sit accidente substantia: haud equidem immerito mathematicus morali philosopho erit dignitate nobilitateque praeponendus, quorum prior substantiam, alter accidentia contemplatur. Quam ob rem quia, & diuinae, & naturali, & mathematicę philosophię partibus inferior est moralis (ut ostēdimus) philosophia, in ea autem tota iuris & legum materia uersetur quam tractant iurisconsulti, iure optimo ignobiliores multo philosophis erunt ipsi iurisperiti. iniuste igitur atque inique supra modum faciunt: qui ui illud sibi assumunt: quod ratio & ueritas, & honestas ipsa philosophis tribuit. uix haec absoluerat Ludouicus: quum Praeuidellus, q quasi torpedinis ictu percussus, argumentorum illius uim summopere admirabatur, tandem ad eum respiciens ita loqui est orsus. uos Ludouicę qui philosophorum nomen uobis tribuitis: nullam ego putabam gloriae & dignitatis curam habere: uerum haud secus facere uos intelligo, q̄ de merope aue olim Aristoteles scripserit, ea enim obuerso podice in anteriorem partem semper progreditur: ita autem et uos facitis, qui gloriam perpetuo uerbis contemnere, re ipsa uero eādem affectare uidemini. tu quidem usque adeo uelis & remis (qd̄ aiunt) pro philosophorum dignitate & excellentia pugnas atque contendis: ac si pro aris & focis: si pro salute patriae dimicares. Ego uero respondit Ludouicus mi prędidelle summopere moleste fero: quod uos qui precario uel commandato a philosophis moralem philosophiae partem accepistis: non tantum eius usum, uerum etiam proprietatem uobis uendicare conemini. deinde adeo superbe & insolenter erga philosophos uos habueritis, ut cum illis etiam (si dijs placet) de dignitate nobilitateque certare, ī rebus publicis ausi fueritis. quas et beatissimas tūc demum futuras Plato arbitratur. quum a philosophiae imitatoribus gubernabuntur. subrisit hic praeuidellus aliquantulum, deinde ait. Li-

Lycurgum igitur, Solonem, Zaleucum, charondam Minoem ignobiles fuisse putas legis latores? nec te quicq̃ omnino mouet quod cicero ipse testatur, solas eas duodecim tabulas omnium philosophorum superare bibliothecas? mihi uero ij respondit Ludouicus potius philosophi, quam legis latores esse uidentur, qui tamen illis ciuitatibus leges dederunt. Sic enim & cyrenæos a Platone eas petijsse tamq̃ a philosopho legisse memoria tenemus. Quod autem ex M. Tullio attulisti, id planè nihil nos potuit cõmouere: neq; enim ut ipse idem inquit contra pythagoricos auditores, authoritas in disputando, sed rationis momenta sunt pquirenda: quis enim quæso nisi rudis planè & imperitus, solo hominis nomine moueatur: nisi ratione ad id credendum quod proponitur inducantur? turpe est enim ut ipsimet iactare solent iurisconsulti sine ratione loqui audere. hæc quum audisset Præuidellus necesse est inquit chrysippeis istis tuis argumentorum inuolucris, & minutulis conclusionibus cedere. uerum nos interea dignitatis istius possessione fruemur, de qua si ante recuperatores actione quod ui aut clã experiri uolueris, haud equidẽ iudicium detrectabo. At Ludouicus, quid mihi inquit cum recuperatoribus istis tuis: præclare enim mea me consolatur consciẽtia, quæ me natura nobiliorem satis ostendit, licet potentia & gratia apud ignarum uulgus plurimum ualens iurisconsultus, inique me admodum iniusteq; dignitate præcedat. Sed de philosophis hactenus a me in præsentia dictum uelim: nunc ad medicorum causam, quam uos per summam iniuriam oppugnatis atque opprimitis, ueniam. uix hæc inceperat Ludouicus, quum repente Benedictus qui diu perpetuum seruarat silentium, dum ij simul disputarent: quid agis inquit ad Ludouicum cõuersus? num tu meas occupare partes cupis? quinimmo permitte (quæso si libet) me causæ meæ patronum aliquantulum agere: te

autem mihi subscritorem esse sit satis. tunc Prœuidellus dij boni quid est hoc rego quod paras mi benedicte? nonne sutor ultra crepidam? tu ne mendicos istos merdicos iurisconsultis nobiliores ostendere statuisti? cui Benedictus Audi quęso Prœuidelle quæ de hac ipsa re dicturi sumus: neq; enim te nisi rationibus et Argumentis conuictum hoc ipsum (quod ais) medicos dignitate iurisperitis anteire fateri volumus: spero autem hoc futurum omnino: licet te non secus ac gemam chalaziam in igne, frigiditatem in aduersariorum argumentis audiendis constantiam uel ptinaciã potius retinere pristinã videã. Quin age inquit Prœuidellus nihil enim hoc ex te gratius intelligere possim: uerum caue agas quod litium redemptores facere solent, qui quum uolubilitate uerborum inani & irridenda freti, omnem cuiuscunq; causæ defensionem suscipere velint, sæpenumero easdem perdant. tunc benedictus ego uero id libenter facio ut medicorum cause patrocinium capiam: cuius grauitate & ueritate confisus haud mihi in dubium uenit uictorię spes certissima. sed heus tu, quia ut Aristoteles ait alię ex arte oriuntur probationes: quas ἐντέχνους ipse appellat: alię uero absq; ullo artis auxilio sunt constitute: & extrinsecus non ex ipsa rei natura excerpi solent, quas ἀτέχνους ille idem nominare cõsueuit: ego utrisq; in præsentia medicos iurisconsultis nobiliores esse ostendam. uerũ quoniam hoc est Aristotelis ipsius præceptum a notioribus illustrioribusq; inchoandũ esse: ab ijs in primis arbitror incipiendũ quę extrinsecus assumuntur. ea autem erunt dei optimi maximi testimonia, & grauissimorum sapientissimorumq; hominum sententię. Iesus igitur Syrach inter hebręos homines diuino afflatus spiritu quum de medico loqueretur: ijs eum uerbis apud homines commendabat. redde inquiens medico honores debitos propter eius necessitatem: fecit enim eum deus optimus maximus: et ab altissimo ꝑfecta ẽ medicina. attẽde hic quęso Prę.pp

necessitatē īquit, ergo necessarius orbi medicus: qđ de iurisconsulto secus esse supius ostēdit Lud. nobilior igitur, prior, et dignior medicus iuriscō. honoribus eū assi iēdū præcipit: qđ nūq̄ de iurisperito dictū fuisse in oībus sacrorū librorū scriptis repe ries. un̄ nec īmerito dixit homerus ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Hoc est uir medicę artis peritus (aīaduerte Prçui. hęc est ipsa iuriscōsultorū securis) multis aliis hoībus est p̄ferēdus. neq̄ n. hic homerus uel de excusoribus, uel đ lignariis, uel cemētariis, uel ferrariis fabris, uel aliis huiuscemodi artificibus tātū itelligit: uerū de multis aliis īquit, īter quos conumerari p̄nt iuriscōsulti. qđ si ita est, quid necessario sequatur p te ipsum noscere potes. sed quid ad ostēdēdā medicorū nobilitatem illustrius eo argumēto afferre debeā? qđ et dii ipsi imortales et illi quidē maiorū gētiū medicā artē exercere voluerūt? et medicos ēt se appellari sunt passi? qđ ne a me cōfictū cōmētūq̄ esse putes: audi Apollinē ipm̄ apud ouidiū de seipso ita pronūciātē. īuētū medicina meū est, opiferq̄ p orbē dicor, et herbarū subiecta potētia nobis. qđ si tu forte poetæ testimoniū parui facis, te ipm̄ tuo gladio cōfigis. nōne uestri iuriscōsulti Homeri carmina sepenumero adducere solēt ad id qđ cupiūt cōprobādū? qđ qđ Arist philosophorū oīū rex in. xii p̄ię philosophię unū esse primū motorē eiusdē poetę uersu cōfirmat? qđ qđ in libello de aīaliū icessu deū optimū maximū i cōuexo ultimę sphęre cōsistere ex eodē ēt probat? qđ qđ i moralibus eius libris oīa sūt referta poetarū testimoniis? silētio p̄termittā hic ęsculapiū, q qđ Aris fieri nō posse oīo uidet, mortuos hoīes ad pristinę lucis usū reduxit. qđ et iis carminibus lib. ii. significauit proptius. et deus extinctū cręsis epidaurius herbis, restituit patriis ādrogeōa focis. qđ nisi nobilissia oīo artiū oīū medica eēt sciētia, haud eqdē i duci pssū ut eredā deos ipos ad eā tractādā demittere se uoluisse. q̄pp si gręcorū latiorūq̄ hoīū mōumēta p legeris, n̄ tn̄ ūq̄

deum aliquem iurisconsultum fuisse percipies, quem medicam artem exercuisse ostendimus. necessario igitur efficitur iurisperitia nobiliorem medicinam dici debere. & digniorem medicum iurisconsulto. sed quia tu fortasse antiquorum illorum deos falsos existimas, & ideo ex guam eisdem fidem tribuendam censes. quid ad uerissimum filium dei Christum seruatorem nostrũ respondebis? nonne ille quæso medicam artem tractare uoluit? nonne cuiusdam vulneribus oleum & uinũ infudit? nonne sputo terræ commixto uidendi actionem restituit? nonne febricitantes, paralyticos, & lepra opertos medica arte liberauit? quo authore & principe quæso quid maius, quid excellentius ad medicinę nobilitatem ostendendam dici commemorariq; potest? quis iurisconsultorum nobilior? quis dignitate præferendus? tacebat hic Prçuidellus tanquam rana quædam seriphia; quodq; magis eiusdem animum āgebat & cruciabat: nihil ei ueniebat in mentem: quod si non vere captiose tamen & cauillatorie aduersus Benedictum i mediũ afferre posset. uerum tandem hunc in modum hiscere cœpit. perbelle tu quidem medicos istos, tuos (ut Aristhophanes ait) σκατοφάγους tueris, atq; defendis, uerũ quod christum medicum facis id summopere etiam miror: ille enim animis non corporibus medebatur: quod autem ad poetas pertinet liberum est eorum genus, ut Lucianus in Harmonide inquit: & ad mendacia maxime pronum. quam ob rem neq; adhuc quidem satis uirium habent argumenta per te adducta ad medicorum nobilitatem ostendendam. Tunc Benedictus qui tanquam pyrites lapis si atteratur & perfricetur insitum calorem detegit, ita etiam aduersar responsione magis ad dicendum incitabatur. quapropter quid tu inquit putas Præuidelle impuri & impudentis Aristophanis poetæ maledicta nocere medicis: qui ut recte doctissimus author Plutarchus ait, in libel

lo de eiusdem & menandri comparatione, dicacissimus omniũ extitit, & ideo etiam summopere uituperandus: uerum quod christum animis tantum, non autem corporibus medelam attulisse dicis, id perinique certe facere uideris. nam si euangelia in manibus sumpseris, nihil me falsi recitasse deprehendes: de poetis uero nihil est, quod tibi in presentia respondere debam quando illud idem ab ipsis de medicis dictum, ab historicis etiam fuit literis consignatum. apud quos etiam sæpenumero legisse meminimus de maximis & potentissimis regibus factam esse mentionem, qui artem medicam exercuerint, ut apud Plutarchum de pyrrho epyrotharũ rege, qui pedis pollice multos sanabat: de mythridate Bythinię & põti domino: et de alĳs plerisq; multis. quorum exemplis et testimonĳs probare possumus nobiliorem esse medicæ artis peritiam, ipsa iuris legumq; disciplina sed hæc hactenus ex eo argumẽtorum genere sint allata: quod extrinsecus ut ait Cicero arripi Solet. nunc ad ea rursus me conferam: quę ex rei ipsius natura essentiaq; ducũtur. sed anteq̃ aggrediar hoc Prævidelle id in primis apud te testatum uolo: me pro dogmatico medico tantum, non autem pro empirico defensionem nobilitatis suscepisse: nam cum Galenus in libro de sectis et in primo, et secundo Therap. medicorum species nonnullas recenseat: ĳ inter cęteros tantum mihi probantur, qui rationem cum rerum experientia coniunxerunt: quos et Cornelius ille Celsus latinorum medicorum homerus libro primo, et Galenus libro nono Therapeutice methodi, et de uenæ sectione, et quinto de medicamentis secundũ locos et alibi millies laudat, neq; enim iurisconsulto empiricum uel methodicũ ęgrotorum carnifices anteponere auderẽ. quam ob rem quum hoc ita a nobis sit constitutum, illud etiam ante omnia statuere oportet. quod tamen ab Aristotele multo ante in libris de anima est

comprobatum, nihil eam per se agere & efficere posse, si corporeis instrumentis uel deserta & destituta fuerit, uel eisdem minus integris atq; corruptis uti cogatur. nam ut Gal. etiam ait humanus animus talis esse perpetuo consueuit, qualis fuerit corporis, cui inest, tempera ura. quod & a Platone in Timæo & i secundo de anima ab Aristotele, & in politicis, & in problematibus, & in prio de generatione animaliũ & in lib. de physionomia si modo hic sit Aristotelis liber, manifestissime est demõstratum. superuacaneum autem, ut arbitror hic omnino foret recensere eorum rationes & argumenta. quam ob rem quum medicus ipse affecti corporis curam suscipiat, & eiusdem sani ualetudinem bonam conseruet: ipse idem etiam necessario animos mentesq; hominum curare solet: fieri nanq; minime potest, quod si anima corporis (ut grauissimi illi & sapientissimi uiri testantur) sequatur temperaturam: bene curato a medico corpore, nõ emendetur etiam animus. nam ut exemplo illud ostendam, si repletione nimia, uel mali alicuius humoris quantitate & qualitate corpus sit obrutum atq; oppressum tunc imperfecte admodũ atq; inepte aialibus functionibus, hoc est imaginatrice ratiocinatrice & memoratrice utetur anima. At si huic medicus salutares manus admouerit, idemq; pharmaco aut uenę sectione adiuuerit, nonne statim leuatur corpus, & anima etiam ipsa ad actiones suas aptior redditur? Præuidellus recte tu quidẽ benedicte sed quorsum istud tuũ tam recte: utar enim hoc loco Hieronymi interrogatione aduersus Iouinianum? tunc Benedictus: ne te tedeat quæso Prçuidelle sermonis nostri: quem quidem ita prolixum ideo habuimus: ut a te istud extorqueremus, medicum hominem corporis & animi humani rationem habere: quũ uos tamen iurisconsulti in informandis, tantum & instituendis animis insudetis, corporis ipsius curar neglecta. quapropter utilio

res

73

res hominum generi medicos quam iurisconsultos & maiori ẽt honore afficiendos necessario affirmamus. qui utriusq; ex quibus homo constituitur: non autem unius tantum ut iurisconsulti, curam gerere uoluerunt. totũ autẽ (ut Aristoteles *ait) & nobilius & prius est sua parte: cuius quum medicus salutem semper procuret, iurisconsultus autem partis tantum, merito inferior medico iurisconsultus est appellandus. & rursus nobilius etiam & dignius compositum ex materia & forma, quam formam & materiam seiunctas & separatas* Aristoteles *probat: compositum uero medicus curat, quum forma tãtum, hoc est humanus animus, a iurisconsulto respiciatur: igitur medicus nobilior iurisconsulto. quid igitur habes præuidelle quod ad nostra refellenda argumenta respondeas? nonne satis tibi probatũ uidetur ignobiliorem multo esse medico iurisconsultum? an aliquid ulterius optas? Præui. Ego uero nihil: plura iam nanq; fortasse de mendicorum laudibus cecinisti, quam uoluissem. Sed te rogo, nonne per accidens (ut aiunt) & non per se animi curam respicit medicus? quod si ita esse fateri cogeris: nonne idem facit iurisconsultus? Benedictus. haud equidem tibi concesserim istud agere iurisconsultum, quando nullo modo reciproca uidetur hæc propositio, curat hominum animos iurisconsultus, ergo etiam ipsum corpus. nam ut declaratum est a nobis superius ex grauissimorum & ornatissimorum hominum sententia, animus quidem corporis temperaturam sequitur, non autem contra accidit. Præuidellus. desistamus iam quæso a proposita disputatione Benedicte, quo enim magis sermonem producimus, eo maiorem mihi nauseam paris. Benedictus. At ego etiam finem iam dicendi faciam, si illud unum tantum adiecero, non esse omnino mendicos medicos nostros, quod tu tamen per contemptum eis obiecisti. Plinius nanq; lib. vij. centum auri talenta (hoc est se-*

Quã summã auri cõtineat Talentũ

xaginta coronatorum millia singulis annis pręmium medicis fuisse tradit, vt taceam interea Erasistratum, qui triginta aureorum millibus ab Antiocho rege donatus fuit. ob cognitam filij ęgritudinem: prætermitto hic sterlinium medicum, de quo apud Plinium copiose. Silentio prætereo Taddæum florentinum, qui ob restitutum pristinę sanitati Honorium pontificem decem aureorum millia est cõsecutus, vt testatur Volaterranus in Anthropologia. obliuione inuoluo iacobũ cantherium Gallum, qui ob menstruam mercedem a Ludouico eius nominis Francorum regum vndecimo, aureorum totidem millia quot Taddeus accipiebat. & ne prolixiorem tandem texam catalogum, innumerabiles alios recensere supersedebo: quibus nunquam quod legerim paria assecuti sunt præmia iurisconsulti. sed de ijs nimiũ fortasse plura quam cuperes vt ais. Quapropter modum iam disputationi imponamus. quæ quum audisset Benedictus. Præuidelle inquit doctissime, comperendinamus & ampliamus causam tuam Quã ob rẽ si tu ipse, aut quisquã alius imposterũ iurisconsultos defendere optabit, ille idem (si placet) non iurgijs & maledictis ne crabrones (vt aiunt) irritet, verum potius doctrina & eruditione ostẽdere nitatur atque cõtẽdat, digniores esse philosophis & medicis iurisconsultos. Quæ quum dixisset Benedictus, & eorum statim dissoluta est disputatio, & quia in Diui Petronij ede diu cõsederãt, prolixiori iam sessione defessi, duobus aut tribus primum spatijs factis domum omnes reuersi sunt. hæc igitur ea erant optimi atque doctissimi præceptores, quæ ad medicorum dogmaticorum philosophorumque dignitatem recuperãdam & retinendam afferre statueram, si modo id recuperari recte dicatur, quod nunquam amissum fuit, licet importunitate, iniuria, & insolentia iurisconsultorum aliquando de hac re in iudicium vocati fuerint. Quapropter si in hoc vobis vtrisque pri

mum, deinde alijs etiam medicis & philosophis aliquantulum satisfecero, curabo etiam diligenter imposterum, vt quæ intra domesticos parietes recondita & abdita diu seruaui, in vestram gratiam in Lucem exeant.

PARADOXVM

QVOD LATINO POTIVS QVAM VVL *gari Sermone ſcribendum ſit.*

IO. BAPTISTA GOYNAEO *Iſtro authore.*

AD NICOLAVM ROSSIGNO, *lum conciuem.*

IO. BAPTISTA GOY. NICOLAO ROSsignolo pyrrhanensi conciui. S. D.

MAgna res est atque difficilis Rossignole, eam studiorum nostrorum instituere rationem, quæ in unoquoque genere perfectum & absolutum aliquid spectet. ad quod quidem cõsequendum & si Pauci: & ij quidem raro peruenire consueuerunt: laudatur tamẽ mirum in modum eorum consilium, qui ab initio optima sunt secuti. quapropter soleo ego te sæpenumero admirari, qui Ciceronem ipsum inter latinos homines primum, deinde Romanam eloquentiam complexus fueris. quam ob rem cum superioribus hisce diebus ruri agerem ad uitandos solis ardores, in eam semel incidi cogitationem, latinam ne potius: uel uulgarem italicam scribendi rationem sequi deberemus: de qua quidem re quid decernendum esse statuerem, propter multorũ iudiciorum peruersitatem cum diu multumque dubitassem: placuit tandem paradoxum quoddam aduersus eorum opinionem conscribere, qui vt mulieres pica laborantes pessimos quosdam cibos probare solent, neglectis optimis, ita linguam istam uulgarem corruptam & barbaram amplexati, latinam aspernãtur & negligunt. & vulgariter potius quam latine scribendum iudicant. mitto autem ad te illud, in quo si tibi latinæ linguæ partes commode defendisse uidebor, in patronorum disertorum albo me describas uelim: sin minus egregiam meam in hac re uoluntatem probare possis. Vale.

PARADOXVM QVOD LATINO ET NON VVLGARI SERMONE SCRIBENDVM SIT.



Antane vulgaris istius linguæ cura animos hominũ tenet, vt latina iam apud italos adolescẽtes prope cõtẽptui habeatur? vnde quæso tam repentina iudiciorum peruersitas est suborta? quo duce et authore, quibus rationibus persuasi trãs alpes vsque latinam linguam inter homines exteros florere patimur? apud nos vero incultã & horridam fere iacere, vulgarẽ autem adeo excolere perpolireque laboramus? at ego semper Adolescentes studiosissimi in cõtraria fui sententia, & latina potius, quam vulgari scribendi ratione vtendum sum arbitratus. nam vt hinc initium faciam probandæ vobis opinionis meæ, nonne purũ potius, syncerum & elegans dicendi genus laudare debemus, quã corruptum, impurum & barbarũ? sed latina lingua plane est casta et simplex, vt negari omnino nõ potest, licet nõnulli ex iustini & diodori siculi & aliorũ quorundã auctoritate cõtrariũ asserãt, cu tamẽ ne verbũ quidẽ ex ijs auctoribus ad id probãdũ pronunciare queant: vulgaris vero adulterina & corrupta, et ex barbarorũ hominũ vocibus procreata: igitur latinæ penitus postponenda. e barbararum autem gentium sermone vario confectam esse nemo inficias ire audebit, qui Blondum flauium F. Philelphum, Marcum Antonium sabellicum, Zachariam, lilium, Philippum Beroaldum & omnes denique recentiores historicos legerit. fuerunt. n. longobardi qui per ducentos et plu

res annos in Italia floruere, Fuerunt Gothi et Vandali q vsque adeo longa regum successione Italiæ possessionem occuparant & rettinuerant: vt ex eorum ordine vnus & romæ nomen, & omnia aliquando immutare & peruertere cogitarit: hij igitur falsam istam & barbaram induxerunt loquendi formam, expulsa prope & eiecta omni latine loquendi ratione. quorum conatus illos tam improbos & temerarios vos qui a maioribus vestris latinæ eloquentiæ gloriosam & amplam illam hæreditatē accepistis, tam turpiter & flagitiose adiuuare contenditis? vos barbarice adolescentes potius, quam latine scribere delectatē vos si fortunæ iniuria atq; calamitas corrupto loquendi modo vti coegit, scribendi ēt formam corruptam sequemini? cū latinam amplecti liceat? sed philosophantur hic si dijs placet nonnulli, & naturale id esse summa ope contendunt, vt ex vnius interitu vel corruptione (vt verbo vtar Ad græcum Aristotelicum maxime apposito) alterum generetur, quapropter et si a barbaris, et ferishominibus originem trahat lingua vulgaris ex corrupta latina, fieri tamen posse affirmant, vt sit perfecta, & absoluta qbus ego ita respondeo. fateri me omnino naturale esse quod aiunt, verū sæpenumero solere accidere vt ob materiam ipsam male paratam atq; dispositam generētur etiam monstra. quale est lingua vulgaris: quæ ex inepte confusis atque commixtis latina, vandalica, getica, longobardica, prouincialique est confecta. neq;.n fieri potest vt ex tanta variarū dissimiliūq; rerū colluuie (vt ita loquar) quicquam boni procreetur. ea enim facile & apte, vt Arrstoteles ait coniungi solent, quæ conuenientiam quandam mutuam habent, & con ra quæ nullam obtinent, ineptissime connectūtur. nam qui rogo fieri poterit vt puella honestissima forma & probatissimis moribus prædita

luxato alicui pusioni & stolido conuenienter coniungatur. cui tamen si coniungatur, quod prolis genus est expectandum nisi monstrum? ut ex latina. & barbaricis linguis copulatis exortū fuit. quapropter uere illud idem in vulgaris linguæ generatione accidisse arbitror, quod de affrica prædicari solet: nasci uidelicet in ea quotidie monstri aliquid ob dissimilium animaliū coitum: ita etiam lingua vulgaris quasi monstrum quoddam ex barbaricarum linguarum confusione orta uidetur. at respondebit hic aliquis vulgaristarum mihi fortasse propugnator acerimus: quid tu hæc impudenter nobis obgannis, nonne Romani & græci omnes, ea tantum sermonis forma scribere voluerunt, quam cum nutricum ipsarum lacte hausissent atq; libassent? qd si nos idem in præsentia facimus, qui in italia orti, italico orationis genere in scribendo utimur, cur nos tam acerbe reprehendis? imitamur maiorum exempla, & eorundem uestigijs insistimus. ridicula (deum optimum maximum testor) responsio, nā Romani illi & græci sapientissimi uiri iure optimo id facere cō sueuerunt, qui puras, perfectas, & absolutas addo etiam copiosissimas linguas habuerunt: nobis uero non idem contigit, qui impuram ut ostendimus, mancam & inopem sortiti sumus. nam cum uulgariter scribere incipimus, nullum planè uulgare uerbū dicere possumus, quod non latine, græce, uel prouincie nostræ. hoc est Galliæ narbonensis propriū sit: etiam si id maxime cptemus. quapropter merito laudandos censeo M. Tullium Ciceronem, Horatium, & alios qui sermonem patrium propagandum scribēdo existimarunt, nā talem omnino eū deorum immortaliū munere consecuti fuerunt, qui nihil cum barbarie coniunctum haberet. Quorum grauissimorum hominum sententiam atq; iudicium sunt imitati superiori ætate Theodorus gaza Thessalonicensis græce & latine doctissimus, & Paulo post M. Mussu

Prouēza i Galia norbonēsis

rus, deinde Archiepiscopus Mononbassię, postremo Ioannes La scaris, & moscupulus omnes graeci homines, & in vulgari & corrupta illa gręca loquendi consuetudine innutriti: (nam & graecis posterioribus idem quod italis hominibus contigit) ut ex pura in barbaram eorum lingua mutaretur, nihilominus ger manam illam ueram & simplicem maiorum suorum scribendi formam sunt secuti, & adulterinam & aduentitiam contem pserunt. Quorum exemplum suspicere & admirari deberent italorum ingenia, quodq́ illi in graeca, illud idem ipsi in latina faciendum esse decernere. qua in re proposita etiam oculos in tueri possunt sapientissimorum hominum multorum exempla, quibus quum a principio infantiae suae inter barbaras gentes et nationes nasci contigisset, tantum abest ut propriam, peculia remq́ linguā amplecti uoluerint: ut eruditissima et inumerabilia ingenii sui monumēta latinis uel gręcis literis cōsignarint. ex quorum ordine primus mihi occurit philosophorum omnium princeps, Aristoteles, qui in media macedonum barbarie ortus, graece tamen quam macedonice scribere maluit, propter sermo nis puritatem & eligantiam. huc accedunt ex hyspania oriun di uiri doctissimi Fabius quintilianus, Lucanus, seneca & iuue nalis, qui patria lingua contempta, romanas musas sunt secuti, ut praetermittam Diuum Augustinum et Apuleium, qui in Affri ca nati, latinae nihilominus omnia potius conscripserunt, quos imitati Cyprianus atq́ Hieronymus idem fecisse memorantur silentio praetereo hic quod ad refutandam & refellendam ean dem obiectionem plurimum potest: sapientissime quidem certe fecisse romanos & graecos homines cum graece uel latinę scri pserunt: quando longe lateq́ propagatis imperij finibus eo usq́ penetrare latinam uel graecam linguam cupiebant, quousq́ ijdē imperij limites peruenissent. quod ab Hulrico Zasio in intellecti

Animi[illegible] Ficarum duo [illegible] [illegible] Diuus [illegible] [illegible]

bus singularibus iuris est doctissime annotatum, verum quos nos quęso imperij terminos dilatabimus? quibus est iampridem a germanis abreptum, atq; ablatum? vt vulgarem sermonem istum lõgius producamus? o inepta hominum iudicia, leguntur aiũt iam in hyspania & Gallia Ioannes Boccacius & Franciscus ille Petrarcha. Leguntur fateor. quis ignorat? verum a quo hominum genere quęso? num a grauissimis & doctissimis hominibus q̃lis erat Budæus i Gallia, qualis hodie floret Petrus Danesius, quales ĩfiniti & innumerabiles alij: qualis in hyspania Ludouicus Viues, qualis Petrus oliuarius & reliqui, quorũ catalogũ hic conficere non est in animo? at ij ne nomen quidem Boccacij vel Petrarchæ, quod ad vulgarem linguam pertinet, norunt a quibus igitur? ab Aulicis quibusdam mollieulis & delicatulis, qui omni luxus & delitiarum genere liquescunt & fluunt. o miros Italicæ linguæ progressus, o felicem vulgarem linguam, quę eo vsq; est pro pagata, vt in aulicorum tantum hyspanorum vel Gallorum ore & manibus habeatur. sed donemus hoc Ioanni Boccacio & Francisco Petrarchæ, recte & sapienter fecisse illos qui vulgari sermone conscripserunt: verum consyderemus etiam rogo, num gloriæ et nominis sui propagandi spem in hoc præcipue collocassent? at si quis vtriusq; hominis lucubrationes diligenter perpenderit, q̃s negabit Ioannem Boccacium in libro de genealogijs deorum, et de illustribus mulieribus, Petrarcham vero in pluribus latine editis monumentis, potiusquam in rebus vulgaribus suæ famæ fundamentum cunstituisse, licet aliter ęquam arbitrabãtur futurum, eis euenerit. vero enim maxime simile & consentaneum mihi videtur maiorem gloriam sperasse illos ex libris ijs, qui per totam fere europam ad manus hominum peruenirent, quam qui in vna tantum Italia legerentur. hinc eorum vterque maxime de leuibus plane & voluptarijs a r

gumentis in vulgari lingua pertractarunt, quum in latina de grauissimis semper fere peregerint, vt prætermittam interim id, quod amissa erat prope omnis ipsorum temporibus latine dicendi forma, quam si puriorem elegantioremque cognouissent, multo fortasse plura litteris consignassent, quam ad manus nostras peruenerint. nos vero plane despectis atque contemptis eorum exemplis (, quos tamen maxime imitari asserimus,) maximas & difficillimas in omnium artium & præsertim philosophiæ studijs quæstiones vulgari sermoni committimus. quod quantopere sit improbandum, & a doctissimorum hominum iudicio sit alienissimum, id Aristoteles ipse testatur. quem ideo obscure & a cosuetudine uulgi longissime de philosophia scripsisse aiunt Simplicius atque Ammonius ut uulgarium hominum ingenia a suis libris auerteret. odi (enim inquit Horatius prophanum uulgus & arceo. quod & Ioannes ille Picus Mirandulanus doctorum omnium princeps in heptaplo laudasse uidetur, & Antiquorum fuisse morem institutumque fusissime & copiosissime declarasse. Pythagoras enim & Dama eiusdem filia ut Affirmat Bessarion Cardinalis eruditissimus, omnia ænygmatibus atque inuolucris obtegebant, ne sanctissima philosophiæ mysteria ad rude & imperitum hominum uulgus peruenirent. iubet etiam ubique Paulus & præsertim in epistola ad Corynthios cauere & fugere mundi sapientiam; & inanem philosophiam, dubitans uidelicet per eam futurum, ut a uera & simplici christiana pietate diducamur. quod & pluribus tam grauissimis & doctissimis uiris accidisse omnibus exploratum est, ut Origeni nostro, ut Manichæo, Eunomio, & hæreticis illis omnibus, qui Platonis libros diligentius quam par erat sunt amplexati.

nos uero (si dijs placet) in uulgarem linguam omnia conuerte-mus, ut vulgus etiam imperitum philosophandi ansam arripiat: & cum nullo id iudicio plane agat, in mille errorum inuolucra se se precipitet. sed ista illi secum consyderent, qui nullo maiorū exemplo, nullo doctorum hominum assentiente iudicio, id ætate nostra facere sunt aggressi: quorum aliqui cum latinę planè nihil (ut ex eorum uersionibus ex græca in latinam linguā colligere licet exprimere possent) uulgari sermone id efficere paulo post sunt conati. quam autem feliciter, id doctorum hominū, non uulgaristarū iudicio arbitror relinquendum. uenio nunc ad illud quod nonnulli uulgarem linguam defendentes in medium afferunt, & numeros ei quemadmodum latinę, uel poeticos, uel oratorios minine deesse litteris mandauerunt: quasi uerò illud idem in Hispana, Gallica, germanica, sarmatica & illyrica lingua non accidat: habet quidem fatemur numeros uulgaris lingua ut alię omnes, uerum cum e barbara & corrupta loquendi ratione oriantur, barbari & corrupti sint necessario est concedendum: sensi ego numeros gallicos in lingua gallica, animaduerti in Hyspana, in germanica etiam annotaui, sed illi omnes redolebant ipsam barbariem. noui etiam in uulgari nostra (cui si quis alius fortasse ab ineunte pueritia) operam dedi, uerum in ijs barbariem, in latina autem romanam illam grauitatem puritatemq́ percipio. legi sæpenumero Iacobi Sanazarij opus de partu uirginis, uidi eiusdem uulgares rythmos, at quid dulcius atq́ iocundius eo, si cum istis conferatur? consyderemus Fracastorij Syphilim, & contra uulgarem aliquem poetam alium: cōparemus eius candorē & romanā illā maiestatem, cū istorū impura & barbara carminum numerorumq́ ratione. At hic impe rite et importune clamant nonnulli, uulgaremq́ linguam copiosissimam esse mugantur, & contra latinam inopem afferunt

nam rebus omnibus(modo diligenter attendere uelimus)propria iam inuenta fuisse aiunt uocabula. quos ego per deum immortalem rogo & obsecro, ut lapillorum & gemarum omnium nomina, herbarum, stirpium, fructicum, & suffructicum, seminum, florum, rerum metallicarum, piscium, auium, terestrium animalium appellationes proprias uulgari sermone exprimant, aut mihi quos de hac re uulgares authores sequar demonstrent: quemadmodum latinos habemus multos. ut silentio prætercam instrumenta bellica, & oīa ad architecturam agriculturamq; pertinentia, sed inepte iam nimiū facio qui huic hominum generi, qui ne a limine quidem linguam latinam salutarunt, et illotis pedibus et manibus ad philosophię uel iuris ciuilis studia se contulerunt lectis tantum Ciceronis epistolis familiaribus, et uergilij opere uix integro, ita respondeam. at literis mandare temere audent latinam linguam usq; adeo uerborum pauperie premi, ut quas nominibus proprijs nauiū omnium species nominat uulgaris loquendi forma, easdem minime latina possit exprimere. sed de ijs hactenus nimium fortasse multa, quapropter ostendamus breuiter illud, propter quod latine potius, quam uulgariter scribendum existimemus. duo igitur sunt in primis, quorum alterum id esse statuo quod unusquisq; qui studiorum suorum monumenta in lucem edere cupit: is quanto fieri potest maiorem humanæ societati afferre contendit utilitatem. bonum enim ut Aristoteles ait, quo magis dilatatur in plures atq; diffunditur, eo melius atq; præclarius est putandū. sed si latino sermone scripserimus, multo maius et excellentius orbi emolumentum afferemus quam si uulgari nostro, igitur latino potius quam uulgari scribere debemus. latine autem scripta ad hyspanos omnes, ad Gallos, ad britannos, ad scandinauiam: ad gothlandiā ad Germanos, ad sarmatas, ad pānonas, ad Scythas

79

aliquos, ad illyricos, ad italos deniq; perferentur. & contra uulgaria monumenta exiguis tantum italiæ terminis cõtinebũtur. quapropter multo minus bonum erit id existimandum, quod ad unam tantum prouinciam et eam quidem exiguam, quam quod ad tot & tantas pertinuerit. & hæc quidem quantum ad primum spectat. alterum uero mihi esse uidetur. quod natura unicuique est insitum quam longissime potest nominis sui gloriam prolatare: quapropter latine potius, quam uulgariter scribere unũ, quemq; debere dicemus, nã si id fecerit, quo usq; latina lingua pertinuerit (peruenit autẽ ad omnes Europe totius, partes) eousq; nomen etiam eius peruolabit. quod si Italice scribere magis tentarit, in Italia tantum memoria eius celebrabitur. que si cum reliquo europę uniuersę orbe conferatur, uix puncti unius rationẽ obtinebit quibus duabus rationibus tãtum. & si persuaderi unicuiq; posse non dubito, latinam magis quam italicam scribẽdi formam amplectendam esse, addam tamen & illud quod sine lachrymis a me commemorari uix potest, amissuros esse nos pristinæ eloquentiæ gloriam, nisi resipiscamus, & quam a maioribus nostris summis laboribus atq; uigilijs partam benedicẽdi famam accepimus, hanc per summum scelus & dedecus sponte abiecturos, quæ a Germanis & gallis exteris olim & barbaris nationibus benigne excepta, illis ijsdem animos & spiritus addet ut de primo eloquentiæ gradu (quod Ioannes iam sturmius facit) nobiscum certare audeant & palmam etiam præripere. quorum excellentem & admirabilem illam industriam non tantum laudandam esse censemus, quantum uituperandam nostram inertiam & laboris fugam, addo iudicij peruersitatem, qui uulgari potius quam latinæ linguæ, licet difficiliori tãtopere studeamus. quo in loco facere non possum quin ad uos orationem conuertam Eruditissimi totius Italiæ Adolescentes,

uosq; pro summa uestra & singulari eruditione obsecrem atq; obtester, ut afflictam iam & prope collapsam indoctissimorũ quorundam hominum culpa latinam eloquentiam erigatis, honorem & gloriam Italiæ conseruetis. & pristino deniq; statui restituatis. qua in re duces & principes sapiētissimi & eloquētissimi sunt uobis propositi Iacobus *sadoletus cardinalis*, M An. *Flaminius*, Iacobus Sanazarius, Hieronymus Fracastorius: Hieronymus *uida cremonensis*, Romulus *Amasæus*, Achilles *Bochius* Bononiensis *eques*, Adamus Fumanus & *alij prope innumerabiles, quorum si illustria illa impressa uestigia sequi libuerit deum immortalem, quantum falso uulgarstarum hominum errori detrahetur, quantum rursus italici nominis gloriæ reparabiturquo qdē inloco te primumappello nobilissime iuuenis prime sergi* Taurisine, *te* Antoni Florebelli *mntinēsis*, *te* Francisce Roborteli *Foroiuliensis te* Francisce Floride, *te* Bassiane *lande te leander zarote* Iustinopolitane, *te* Paule Manuti, *te deniq; nobilissime et ornatissime* Adolescens Paule Vrsate *i quibus prope solis quos romanæ eloquentiæ semper cognoui studiosissimos, magnam spem repositam habeo de eadem retinenda & conseruanda, uos inquam igitur rursus apello: quibus* Italiæ *decus & ornamentũ commendo atq; trado.*

PARADOXVM

QVOD DIGNIORA NOBILIORA-que sint, literarum studia rei militaris peritia.

IOANNE BAPTISTA: GOYNAEO pyrhanensi Istro authore ad Priamum Polanum.

f Requens est hic Priame doctissime omniū fere hominum sermo, rei militaris peritiam literarum studijs dignitate & excellentia longe precedere. quod quum multoties mecum ipse diligentissime reputarem, haud unquam animum inducere potui ut crederem, non esse id potius cōmuni multorū errori, quā rei ipsius ueritati attribuendum. quam ob rem decreueram iamdudum de hac ipsa materia aliquid scribere, nisi me itinerum meorum ratio ꝑ vniuersam germaniam & belgicam galliā ab huiusmodi cogitatione auertisset. uerum quum in patriam tandem summo dei optimi maximi beneficio incolumis dudum redijssem, & tota mente cogitationeq; in philosophiæ & medicæ artis studia incumberem, nihil prope otij nunquam nancisci potui, quod ad id perficiendum, quod optabam, satis futurum uideretur. cæterum ne uanum omnino meum in hac re euaderet desyderium, cum per hosce superiores dies ruri degerem, Paradoxū quoddam breue breuissimo etiam temporis spatio fere conscripsi. quo quidem ni fallor abunde multorum opinio falsa refutatur, & contra pluribus rationibus & argumentis asseritur, literarum studia artis militaris peritię anteponi debere, placuit autem tibi in primis lucubratiunculam hanc inscribere, ut ex ea

facile cognoscere posses me eandem erga te beneuolentiam conseruare, qua te prosequi solitus fui, quum Bononiæ libellum de coniungenda sapientia cum eloquentia ederem, cum de studiorum meorum ratione tecum quotidie communicabam, quum te deniq; principem amicorum omnium in adiuuandis atq; ornandis studijs meis inueni. lege igitur & vale.

QVæ malum est ista imprudentia in rerum ipsarum collatione vsq; adeo cæcutire ut quod peius est & ignobilius, id meliori nobilioriq; multo præferatur & rei nos militaris peritiam literarum studijs anteponemus? at ego uel te inuito quisquis es qui id asseris, aperte ostendam. affirmandum esse contrarium. inde autem argumentationis meæ sumam initium quod tu negare omnino non poteris. nam si per uera & ἀναπόδεικτα principia ratiocinationum nostrarum fundamenta iaciantur, necessario id quod cupimus efficietur. quapropter ab eo ante omnia incipiendum arbitror, quod in quo minus fortunæ ipsius uis atq; potentia valeant: ingenium autem & ratio plurimum possint: id contrario suo nobilitate maxime præstet & antecellat: sed in artis militaris peritia fortuna mirifice uiget & dominatur, in literarum uero studiis ingenium tantum & ratio exercentur, nobiliora igitur literarum studia ipsa rei militaris cognitione. quod autem fortuna in bellandi ratione magnam sibi uendicet partem id Cicero ipse ostendit in oratione pro lege manilia: & quintus curtius & Arrhianus fortuna potius quam ingenio adiutum & consilio Alexandrum macedonem imperium propagasse testantur: ut prætermittam Iulium Cæsarem, qui apud Appianum & Lucanum se in manibus fortunam gestare gloriatur. & Plutarchus etiam ipse in libello de romanorum fortuna, usq; adeo eos

imperium dilatasse ait fortuna potius qunm uirtute duce, cuius rei certissimum id adduci posset argumentum, quod nulli plane deorum frequentiora templa posuerint: sed de fortuna dictum sit hactenus: quantum autem illud quæso? quod cum animo & corpore constent homines, id multo dignius & excellentius haberi debeat exercitium, in quod magis ingenii quam corporis uires incedunt, corporis.n. ut Salustius inquit seruitio, animi uero imperio vti solemus. & rei militaris peritia corporis viribus maxime, litterarum uero studia ingenii potius intentione comparantur. igitur quid sequatur optime perspicis. quod si tamen aliquando accidat ut solo prudentis imperatoris consilio regatur exercitus, qui uel morbo uel ingrauescentis ætatis ratione impediatur, id nihilominus nobilissima animi parte quam Aristoteles mentem appellat minime fieri solet, sed ea tantum, quę circa ea quę alio pacto se habere possunt perficitur. cum literarum studia ut naturalis & diuinę philosophię intellectus, ut aiunt, agentis uirtute consueuerint pertractari. huc accedit quod apud omnes penitus gentes & nationes omnium plane iudicio atque sententia est comprobatum, id mirum in modum dignitate præcellere, quod ad perfectionem, voluptatem, & ornamentum humanæ societatis est excogitatum: & contra indignum planè & turpe illud uideri, quod ad perturbationem quietis & uitæ perniciem inuentum fuit: sed literarum ipsarum studia & auxilium et delectationem hominibus afferunt, quum res ipsa militaris calamitates luctus atque miseriam addere soleat: ergo literarum studia nobiliora omnino existimanda. & rursus: id sine cuius auxilio cæterarom memoria planè deletur, sua autem absque aliis maxime floret, id nobilius & excellentius haberi debet: at sine literarum ipsarum ope præclare factorum in bello memoria interit, carum autem etiam si nullum unquam existat bellum conseruatur, igi

tur literarum studia nobiliora esse censenda. quo in loco leui ni fallor labore eorum argumentum refutari potest, qui nescio qua imprudentia ducti arbitrantur & asserunt, non potuisse rerum scriptores æternam sibi nominis gloriam comparare, nisi prius ij extitissent, qui laude digna gesta perficerent. Quasi uero si belli facta celebrata non essent, pacis ornamenta describi non potuissent. ut silentio prætercam etiam illud, quod innumerabilia & infinita sunt in ipsa philosophia in musica. in geometria, in arithmetica, in perspectiua, in Astonomia, in sacrarum rerum cognitione. in animalium Terrestrium & suolatilium natatiliumq; & herbarum, plantarum fruticum suffruticumq; histo-ria, ad quæ animum applicare illi homines potuissent: qui in bellis enarrandis tempus & operam consumpserunt. postremo, quid quæso maius quidq; illustrius ad litterarum nobilitatem declarandam adduci potest eo argumento: quod rei ipsius militaris peritia in eo animi habitu consistere consueuit quem Aristoteles appellat artem: litterarum autem studium ut naturalis & diuinæ philosophiæ in scientia & sapientia consistere so'et, quę uel ipsius subiecti ratione, vel ratiocinandi modo Aristotele teste quam longissime arti sunt anteponendę: huc addendum est illud quod eæ artium species sunt uitandę & ignobiliores quoque censendæ, quæ contra naturam ipsam optimam ducem excogitatæ uidentur: ea siquidem vt grauissimus author Cicero ait in Tusculanis quæstionibus, nos ad iuuandos & conseruandos homines procreauit, contra rei militaris peritia ad certamen & hominum necem instruimur: literarum uero cognitione ad humanitatem mansuetudinemq; informamur. unde quid effici concludiq; debeat, facile (ut arbitror) uides. sed non est hic illud mea sententia ullo pacto prætereundum: quod quum animo

(ut diximus) & corpore tantum constemus, id incredibiliter di gnitate & excellentia contrarium suum superare dicendum sit, quod ad utriusque salutem maxime spectet, cum alterum ad interitum ipsum respiciat. literarum uero medicinalium (ut ita loquar) & Theologiæ studia, & animi ualetudini procurandæ operam nauant, quum rei militaris peritia utriusque perniciem meditetur: & præsertim quum christiani in christianos arma capere consueuerunt. nobilius igitur & dignius literarum studium rei militaris experientia. Quapropter iure optimo doctissimus quidam ex recentiorum scriptorum ordine dixit: bellum esse quasi belluinum: cuius tractandi artem si quis sequatur is a belluis nihil omnino differre queat. quo in loco mi Priame pro tua singulari humanitate hanc mihi ueniam dabis, vt iustissimam animi iracundiam contra eorum pertinaciam effundam, qui armorum gloriam, literarum studijs præferendam asserunt atque affirmant. uos ne igitur inter hominum numerum referendos esse arbitrer sæuissimum & crudelissimum ferarum genus, qui quum arma & bella ipsa, incendia tantum, populationes, uexationes, uastationesque agrorum vrbium prouinciarumque meditentur & peragant, quum stupra fœdissima omnium, adulteria, incestus, sacrarum rerum contaminationem, affiniũ, cognatorũ, filiorũ deniqe parẽtiũque necẽ afferre soleãt. uos tamẽ eorũ tractãdorũ peritiam literarũ studijs anferẽda esse dicatis? quę si nõ essent inter hoies, quãta quęso rerũ ipsarũ obscuritate et ignorãtia laboraremus? q̃m magna humanę felicitatis portio detracta esset: q̃ deniqe miseri & calamitosi uideremur, qui nihil plane a mortuis vt Arist. apud laertiũ ait differemus? solẽ e mũdo tolleret, q hominem literarũ cognitione priuaret. et cõtra, maxima peste atque pnicie uacuũ eundem redderet: q̃ bellãdi artẽ diuina aliq ope radicitus extirparet. quapp cõgescamus

nos rogo in institutis literarum studiis, & summa etiam ope nitamur cum uniuersæ hominum societati vtilitatem afferre, tum nominis nostri gloriam (si possumus) quam longissime propagare.

IO. BAPTISTA GOYNAEVS ARnoldo Arlenio, S. D.

MVlta Arnolde doctissime de vano mortuorum causa luctu, cum Plutarchus in consolatorio sermone ad Apollonium, & Lucianus in libello περὶ πένθους, tum Ioannes ipse Chrysostomus uarijs in locis sapientissime disputarunt. uerum humani esse ingenij puto, amicorum interitum si non lugere (quod muliebre potius, quam uirile esse uidetur) dolore tamen aliquo prosequi. quam ob rem cum superioribus hisce diebus M. Vrsatus Patauinus patritius obijsset, magnam ex eius morte animi mœstitiam contraximus. & præsertim quod in eo homine omnia uirtutis ornamenta a natura & exercitatione quotidiana reposita uideremus: & incredibili humanitate liberalitateque (dum uiueret) nos semper esset amplexus. quapropter ut quo quo modo nostrum animi affectum erga optimum & sanctissimum uirum ostenderemus, in eius mortem (dum venetijs commoraremur) piscatoriam eclogam scribere placuit. mitto autem ad te illam amicorum omnium principem, ut ex ea facile cognoscere queas, uerum esse illud pythagoricorum prouerbium, ἅπαντα τὰ τῶν φίλων κοινά. hoc est non solum res secundas & fortunatas, uerum etiam ipsas aduersas. Vale.

ECLOGA PISCATORIA IN NOBILISSIMI viri M. Vrſati Patritii patauini obitum .ad Arnoldum Arlenium.

Forte Philon venetis dudum piſcator in oris
Curua legit tenui ſolus dum littora cymba,
Raraq́ per longos extendēs retia remos
Sole ſub ardenti, bibula ſpatiatur arena,
Audiit inſuetum ſublimi e ceſpite coruum,
Omnia luctiſonis complentem ſæpe querelis.
Obſtupuitq́ pauens, paruo quum tempore acerbum
Fama tulit uelox Vrſati nuncia fatum:
Diuini Vrſati: quo non præſtantior alter
Ciuis in Antiqua pataui conſederat urbe.
Hunc igitur ſuper illachrymans & pectore ab imo
Effundens gemitus, ſicca proiectus in alga,
Talia iactabat uentis & fluctibus atris.
O decus, o patriæ lumen, nunc maxima diuum
Gloria, nos miſeram ſine te traducere uitam
Poſſe putas igitur? nos inquam Marce carentes
Virtute & morum probitate & lumine tanto?
At prius ad terram labentis lumina cœli
Deſcendent, fluctusq́ leues ad ſydera ſurgent:
Et mare proſcindet curuo ſub uomere arator.
Quam ſine te miſeram libeat traducere uitam.
Interitum gemuere tuum per littora piſces
Muti olim: queruli gemuere per æquora mergi.
Sæpe mihi & medio ſpectatus in æquore delphin
Bacchanti ſimilis ferri rurſusq́ referri.
Morte tua mœrens Diuine Vrſate furensq́.

Audiui & scopulos inter dum uimine nassas
Texebam lento, grata prostratus in umbra,
Et fulicas tristes, udoq; in littore phocas
Occasum deflere tuum, tua tristia fata,
Quodq; magis mirum pelagi pia numina nymphas
Nereidas, surdis portantibus omnia ventis,
Audiui miseras uentis iactare querelas,
Tu tamen æthercam dudum sublatus in arcem
Despicis hæc, tantum diuino captus amore,
O mihi si liceat moribunda relinquere terræ
Membra pater, cœloq; ipsi me tradere aperto,
Quam leuis ingressus uasti iam limina olympi
Diuinas animo tecum perquirere sedes
Inciperem, tecumq; epulis accumbere diuum.
Nam mihi dum remos, dum linea retia tracto
Otia nulla patent, nullum sperare laborum
Marce licet finem longo post tempore tandem.
Talia iactabat frustra piscator ad auras
Frustra oculis cœlum aspiciens, quum flatibus auster
Turbidus in gelidos passim spirare triones
Et medio miscere mari iam prælia cepit,
Interea uacuum certatim in littore ponunt
Piscantes iuuenes multo mœrore sepulchrum.
Et facibus circum lustrant dum flebile carmen
Alterni dicunt: cupiunt alterna camenæ.
Lycus. Vt lupus in tyberi, mario laudatur in Istro
Attilus Heridano gaudet, salmoq; mosella:
Sic tua nunc Pataui celebratur fama per urbem.
Gelon. Conditur ut mediis semper ferè sargus in herbis,
Et mediis capitur semper melanurus in undis,

Italia in media Marci sic gloria floret.

Lycus. Perniciem delphin raris ut retibus infert
Dum petit optatos velox in pabula mulos
Sic tua perniciem patavi mors intulit urbi.

Gelon. Ut cephalos mergus turbat demersus in undis
Improbus ingluviem cupiens explere uoracem:
Sic tua nunc animos hominum mors invida turbat.

Lycus. Halcyones quando ueniunt, tunc alta quiescunt
Aequora, tunc cœlo collucent astra sereno
Discessu sed marce tuo nunc omnia lugent.

Gelon. Ardea sublimem pennis forte æthera tranans
Prędicit quærulo pluviam clamore futuram
Et tua mors miseris mala nunciat omnia nobis.

Hæc illi tumulum repetunt dum carmina circum,
Iustaq; persoluunt umbræ: micat ignibus æther
Et ruit in medios creber de nubibus imber.